Własność
Wojciecha Regulskiego
Adjunkta Archiwum Akt
Dawnych Staropolskich
w Kaliszu 1875. roku.

Hic Liber donatus est
mihi a Valentino Solitow-
ski Eramitæ Ordinis S. P.
Francisci in Claramonte
Czentochoviensi habitan-
te 1843. anno.

Laus Tibi Dñe: Rex
aeternæ gloriæ. —
Incipitur a Dominica
Septuagesimæ quod di-
gnoscitur Staro-
napustna. —

Epistola ad [illegible] 9/6

# Modlitwa.
## do Pana Jezusa.

JEZU Najłaskawszy! Tyś sam Zbawienie, żywot, i zmartwych-wstanie nasze. Ciebie więc prosimy, nieopuszczaj Nas w uciskach Naszych, ale przez kochanie Najświętszego serca Twego, i przez boleści Matki Twojéj Niepokalanej, ratuj sługi Twoje, które drogą Krwią Twoją Odkupiłeś. Amen.


PIETAS AD OMNIA UTILIS
REGINA PATRONA UNGARIÆ

# OFFICIUM RAKOCZIANUM,

*SIVE*

# VARIA PIETATIS EXERCITIA CULTUI DIVINO,

MAGNÆ MATRIS

# MARIÆ,

SANCTORUMQUE

# PATRONORUM

HONORI DEBITA.

*Editio noviſſima, omnibus prioribus auctior, & locupletior.*

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis Societ. JESU 1745.

# AD LECTOREM.

Habes, benevole Lector, Varia Pietatis Exercitia, è diversis agris in manipulum unum Tuo fervori comparata. Parva mole sunt, & exigua; super humanas tamen vicissitudines evolanti animæ pondus addunt; tum ut æquabili volatu à vero non deflectat: tum, ut, (quod mireris) super omnia faciliùs se extollat; pondus enim non gravat animum, quod imponit Divinus amor. Varia dedimus, & diversa: vel, ut, cùm non omnibus eadem sæpe placeant, delectus esset; vel, ut profusæ multorum pietati hôc compendiô serviremus: finem spectavimus non alium, quàm, ut in omnibus laudetur DEUS. Hoc, si laboris mei (qualis qualis ille sit) pretium à te retulero, desideriorum meorum mihi plenitudinem, Amice Lector, jam dedisti. Vive, vale.

# DE ANNO, ET EJUS PARTIBUS.

ANnus menses habet duodecim, hebdomadas duas, & quinquaginta, & diem unam; dies verò trecentos sexaginta quinque, & ferè sex horas: tantô enim temporis intervallô Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

# DE ANNI CORRECTIONE,

## Ejúsque necessitate, ac Calendario Gregoriano.

QUod dictum est, Annum continere trecentos, & sexaginta quinque dies, & ferè sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras; cùm ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365. contineret integras sex horas, & factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ità excreverint; ut invicem juncta constituerint dies decem; qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, à qua jam à Concilio Nicæno decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo, recesserat; quod à Concilio ad XII. Kal. Aprilis fuerat constitutum; & XIV. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed

vim

vim quoque tradidit, & rationem, quâ caveatur, ut imposterum & Æquinoctium vernum, & XIV. Luna Paschalis à propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad duodecimum Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobri ipsius Anni 1582. eximerentur, ut post quartam diem Octobris, Sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ità error, qui in præteritorum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem imposterum idem error vitaretur, ne à xii. Kalend. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (ùt mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint (qualem etiam esse voluit annum 1600. annô correctionis proximum) post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sinè Bissexto transigerentur: quartus quisque centesimus esset Bissextilis. Ità ut annus 1700. 1800. 1900. Bissextiles non sint; annô verò 2000. more consueto, dies Bissextus intercaletur, in Februario dies 29. continente; idémque ordo intermittendi intercalandíque Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuò conservaretur.

# TABULA TEMPORARIA.

| Anni Dñi. | Literæ Doñical. | Septuagesima. | DiesCinerum. | Pascha. |
|---|---|---|---|---|
| 1745. | c | 14. Feb. | 3. Mar. | 18. Apr. |
| 1746. | b | 6. Feb. | 23. Feb. | 10. Apr. |
| 1747. | A | 29. Jan. | 15. Feb. | 2. Apr. |
| 1748. | g f | 11. Feb. | 28. Feb. | 14. Apr. |
| 1749. | e | 2. Feb. | 19. Feb. | 6. Apr. |
| 1750. | d | 25. Jan. | 11. Feb. | 29. Mar. |
| 1751. | c | 7. Feb. | 24. Feb. | 11. Apr. |
| 1752. | b A | 30. Jan. | 16. Feb. | 2. Apr. |
| 1753. | g | 18. Feb. | 7. Mar. | 22. Apr. |
| 1754. | f | 10. Feb. | 27. Feb. | 14. Apr. |
| 1755. | e | 26. Jan. | 12. Feb. | 30. Mar. |
| 1756. | d c | 15. Feb. | 3. Mar. | 18. Apr. |
| 1757. | b | 6. Feb. | 23. Feb. | 10. Apr. |
| 1758. | A | 22. Jan. | 8. Feb. | 26. Mar. |
| 1759. | g | 11. Feb. | 28. Feb. | 15. Apr. |
| 1760. | f e | 3. Feb. | 20. Feb. | 6. Apr. |
| 1761. | d | 18. Jan. | 4. Feb. | 22. Mar. |
| 1762. | c | 7. Feb. | 24. Feb. | 11. Apr. |
| 1763. | b | 30. Jan. | 16. Feb. | 3. Apr. |
| 1764. | A g | 19. Feb. | 7. Mar. | 22. Apr. |
| 1765. | f | 3. Feb. | 20. Feb. | 7. Apr. |
| 1766. | e | 26. Jan. | 12. Feb. | [illegible] |
| [illegible] | [illegible] | 15. Feb. | 4. Mar. | 19. Apr. |
| 1768. | c b | 31. Jan. | 17. Feb. | 3. Apr. |
| 1769. | A | 22. Jan. | 8. Feb | 26. Mar. |
| 1770. | g | 11. Feb. | 28. Feb. | 15. Apr. |
| 1771. | f | 27. Jan. | 13. Feb. | 31. Mar |
| 1772. | e d | 16. Feb. | 4. Mart | 19. Apr. |
| 1773. | c | 7. Feb. | 24. Feb. | 11. Apr. |
| 1774. | b | 30. Jan. | 16. Feb. | 3. Apr. |

| Ascensio. | Pentecostes. | Corporis Christi. | Domin. I. Advent. |
|---|---|---|---|
| 27. Maji. | 6. Junii. | 17. Junii. | 28. Novem. |
| 19. Maji. | 29. Maji. | 9. Junii. | 27. Novem. |
| 11. Maji. | 21. Maji. | 1. Junii. | 3. Decem. |
| 23. Maji. | 2. Junii. | 13. Junii. | 1. Decem. |
| 15. Maji. | 25. Maji. | 5. Junii. | 30. Novem. |
| 7. Maji. | 17. Maji. | 28. Maji. | 29. Novem. |
| 20. Maji. | 30. Maji. | 10. Junii. | 28. Novem. |
| 11. Maji. | 21. Maji. | 1. Junii. | 3. Decem. |
| 31. Maji. | 10. Junii. | 21. Junii. | 2. Decem. |
| 23. Maji. | 2. Junii. | 13. Junii. | 1. Decem. |
| 8. Maji. | 18. Maji. | 29. Maji. | 30. Novem. |
| 27. Maji. | 6. Junii. | 17. Junii. | 28. Novem. |
| 19. Maji. | 29. Maji. | 9. Junii. | 27. Novem. |
| 4. Maji. | 14. Maji. | 25. Maji. | 3. Decem. |
| 24. Maji. | 3. Junii. | 14. Junii. | 2. Decem. |
| 15. Maji. | 25. Maji. | 5. Junii. | 30. Novem. |
| 30. April. | 10. Maji. | 21. Maji. | 29. Novem. |
| 20. Maji. | 30. Maji. | 10. Junii. | 28. Novem. |
| 12. Maji. | 22. Maji. | 2. Junii. | 27. Novem. |
| 31. Maji. | 10. Junii. | 21. Junii. | 2. Decem. |
| 16. Maji. | 26. Maji. | 6. Junii. | 1. Decem. |
| 8. Maji. | 18. Maji. | 29. Maji. | 30. Novem. |
| 28. Maji. | 7. Junii. | 18. Junii. | 29. Novem. |
| 12. Maji. | 22. Maji. | 2. Junii. | 27. Novem. |
| 4. Maji. | 14. Maji. | 25. Maji. | 3. Decem. |
| 24. Maji. | 3. Junii. | 14. Junii. | 2. Decem. |
| 9. Maji. | 19. Maji. | 30. Maji. | 1. Decem. |
| 28. Maji. | 7. Junii. | 18. Junii. | 29. Novem. |
| 20. Maji. | 30. Maji. | 10. Junii. | 28. Novem. |
| 12. Maji. | 22. Maji. | 2. Junii. | 27. Novem. |

*Habet dies XXXI. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | *Kal.* | 1 | *Circumcisio Domini.* Almach: M. |
| b | iv. | 2 | Macarii Alexandrini. |
| c | iii. | 3 | Genovefæ Virg. |
| d | *Pridie* | 4 | Rigoberti Episc. |
| e | *Nonæ* | 5 | Telesphori Papæ, & Mart. |
| f | viii. | 6 | *Epiphania Domini.* |
| g | vii | 7 | Raymundi Confess. |
| A | vi. | 8 | Laurent. Justin. Erhardi Episc. |
| b | v. | 9 | Juliani Mart. |
| c | iv. | 10 | Marciani Confess. |
| d | iii. | 11 | Hygini Papæ, & Mart. |
| e | *Pridie* | 12 | Ernesti Episc. |
| f | *Idib.* | 13 | Godefridi Comitis. |
| g | xix. | 14 | Hilarii Confess. |
| A | xviii. | 15 | Pauli primi Eremitæ. |
| b | xvii. | 16 | Marcelli Papæ, & Mart. |
| c | xvi. | 17 | Antonii Abbatis. |
| d | xv. | 18 | Cathedra S. Petri Romæ. |
| e | xiv. | 19 | Canuti Reg. Marii, Marthæ, & So. |
| f | xiii. | 20 | Fab. & Seb. MM. *Sol in Aquar.* |
| g | xii. | 21 | Agnetis V. & Mart. |
| A | xi. | 22 | Vincentii, & Anastasii MM. |
| b | x. | 23 | Despons. B. M.V. Joann. Eleem. |
| c | ix. | 24 | Timothei Episc. & M. |
| d | viii. | 25 | *Conversio S. Pauli Apostoli.* |
| e | vii. | 26 | Polycarpi Episc. & Conf. |
| f | vi. | 27 | Joann. Chrysost. Episc. & C. |
| g | v. | 28 | Margaritæ V. R. V. F., & Caroli |
| A | iv. | 29 | Constantini Ep. & M. (Magni. |
| b | iii. | 30 | Aldegundis Virg. |
| c | *Pridie* | 31 | Petri Nolasci Confess. |

*Habet dies XXVIII. Luna verò 30.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| d | *Kal.* | 1 | Ignatii Ep. & M. S. Brigittæ V. |
| e | iv. | 2 | *Purificatio B. M. V.* S. Cornelii. |
| f | iii. | 3 | Blasii Episc. & Mart. |
| g | *Pridie* | 4 | Andreæ Corsini Conf. |
| A | *Nonæ* | 5 | Agathæ Virg. Trium MM. S. J. |
| b | viii. | 6 | Dorotheæ V. M. Amandi Episc. |
| c | vii. | 7 | Romualdi Abb. Richardi Reg. |
| d | vi. | 8 | Joannis de Matha. |
| e | v. | 9 | Appolloniæ Virg. & Mart. |
| f | iv. | 10 | Scholast. Virg. Guilielmi Erem. |
| g | iii. | 11 | Victoriæ Virg. & Mart. |
| A | *Pridie* | 12 | Antonii Episc. Eulaliæ V. & M. |
| b | *Idib.* | 13 | Jordani Conf. Tranquilli M. |
| c | xvi. | 14 | Valentini Presbyt. & Mart. |
| d | xv. | 15 | Faustini, & Jovitæ Martyrum. |
| e | xiv. | 16 | Nicephori M. Julianæ V. M. |
| f | xiii. | 17 | Sabini Episc. Juliani Mart. |
| g | xii. | 18 | Simeonis Episc. & Mart. |
| A | xi. | 19 | Conradi Placentini Conf. ( *Sol* |
| b | x. | 20 | Eleutherii Episc. *in Piscib.*) |
| c | ix. | 21 | Maurit. & Soc. MM. Eleon. V |
| d | viii. | 22 | Cathed. S. Petri Antioch. |
| e | vii. | 23 | Nicolai Confess. *Vig.* † |
| f | vi. | 24 | *Mathiæ Apostoli.* |
| g | v. | 25 | Victorini Mart. Tarasii Episc. |
| A | iv. | 26 | Porphyrii Episcopi. |
| b | iii. | 27 | Athanasiæ. |
| c | *Pridie* | 28 | Lupicini, & Romani Confess. |

*Anno Bissextili additur unus dies, & fit mensis dierum 29. sed Festum S. Mathiæ celebratur die 25. & tunc dicitur bis, Sextô Kal. hoc est 24. & 25. die mensis. Et sic litera Dominicalis mutatur in præcedent. ut si fuit A, in G & si fuit F. in E, &c.*

*Habet dies XXXI. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| d | *Kal.* | 1 | Svviberti Epiſcopi. |
| e | vi. | 2 | Simplicii Papæ. |
| f | v. | 3 | Kunegundis Auguſtæ V. |
| g | iv. | 4 | Caſimiri Confeſſoris. |
| A | iii. | 5 | Adriani M. & Friderici Conf. |
| b | *Pridie* | 6 | Coletæ Virginis. |
| c | *Nonæ* | 7 | Thomæ de Aquino. |
| d | viii. | 8 | Joannis de Deo Confeſſ. |
| e | vii. | 9 | Franciſcæ Rom. Vid. |
| f | vi. | 10 | Quadraginta Martyrum. |
| g | v. | 11 | Conſtant. C. (& Xav. S.J. |
| A | iv. | 12 | Greg. P. & C. Canoniz. SS. Ign. |
| b | iii. | 13 | Roſinæ Virginis. |
| c | *Pridie* | 14 | Petri Abbatis. |
| d | *Idib.* | 15 | Longini Martyris. |
| e | xvii. | 16 | Heriberti Epiſcopi. |
| f | xvi. | 17 | Gertrudis V. Patricii Epiſc. & C. |
| g | xv. | 18 | Cyrilli Epiſ. Eduardi Mart. |
| A | xiv. | 19 | *Joſephi Sponſi B. M. V.* |
| b | xiii. | 20 | Joach. C. Patr. B. M. V. *(Sol in* |
| c | xii. | 21 | Benedicti Abbat. *Ariete.)* |
| d | xi. | 22 | Catharinæ Suecæ Virg. |
| e | x. | 23 | Othonis Confeſſoris. |
| f | ix. | 24 | Gabr. Arch. Simeon. Trid. M. |
| g | viii. | 25 | *Annunciatio B. M. V.* |
| A | vii. | 26 | Ludgeri Epiſcopi. |
| b | vi. | 27 | Ruperti Epiſcopi. |
| c | v. | 28 | Gunthramni Reg. Franc. |
| d | iv. | 29 | Mechtildis Virginis. |
| e | iii. | 30 | Reguli Epiſcopi. |
| f | *Pridie* | 31 | Benjamini Mart. Balbinæ Mart. |

APRI-

*Habet dies XXX. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| g | *Kal.* | 1 | Hugonis Episc. Walerici Abb. |
| A | iv. | 2 | Francisci de Paula Confess. |
| b | iii. | 3 | Richardi Episcopi. |
| c | *Pridie* | 4 | Isidori Ep. Josephi Hermani C. |
| d | *Nonæ* | 5 | Vincentii Ferrerii Confess. |
| e | viii. | 6 | Guilielmi Abbatis. |
| f | vii. | 7 | Alberti Confessoris. |
| g | vi. | 8 | Dionysii Episcopi. |
| A | v. | 9 | Mariæ Ægyptiacæ. |
| b | iv. | 10 | Macarii Patriarchæ. |
| c | iii. | 11 | Leonis Papæ, & Confess. |
| d | *Pridie* | 12 | Julii Papæ. Alserici Abbat. |
| e | *Idib.* | 13 | Hermenegildis M. Justini M. |
| f | xviii. | 14 | Tiburt. Valer. & Maxim. MM. |
| g | xvii. | 15 | Lidvvinæ Virginis. |
| A | xvi. | 16 | Callisti M. Joach. Ord. Serv. B. V. |
| b | xv. | 17 | Rudolphi M. Aniceti P. & M. |
| c | xiv. | 18 | Ursmari Confessoris. |
| d | xiii. | 19 | Antoniæ V. & M. Theod. M. |
| e | xii. | 20 | Agnetis Polit. V. *Sol in T.* |
| f | xi. | 21 | Anselmi Episcopi. |
| g | x. | 22 | Soteris, & Caji MM. |
| A | ix. | 23 | *Adalberti Episcopi, & Mart.* |
| b | viii. | 24 | *Georgii Martyris.* |
| c | vii. | 25 | Marci Evangelistæ. |
| d | vi. | 26 | Cleri, & Marcelli PP. MM. |
| e | v. | 27 | Sitæ Virginis. |
| f | iv. | 28 | Vitalis Martyris. |
| g | iii. | 29 | Petri Martyris. |
| A | *Pridie* | 30 | Catharinæ Senensis Virginis. |

*Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| b | *Kal.* | 1 | *Philippi, & Jacobi Ap.* Sigism. |
| c | vi. | 2 | Athanasii Episc. & Confessor. |
| d | v. | 3 | *Inventio S. Crucis.* |
| e | iv. | 4 | Monicæ Viduæ. Floriani M. |
| f | iii. | 5 | Gothardi Episcopi. |
| g | *Pridie* | 6 | Joannis ante Portam Latinam. |
| A | *Nonæ* | 7 | Stanislai Episc. & Mart. |
| b | viii. | 8 | Apparitio S. Michaëlis Archang. |
| c | vii. | 9 | Gregorii Nazianzeni Episcopi. |
| d | vi. | 10 | Antonii Episcopi. |
| e | v. | 11 | Beatricis Virginis. |
| f | iv. | 12 | Pancratii Martyris. |
| g | iii. | 13 | Alexandri Mart. (Mart |
| A | *Pridie* | 14 | Victoris, & Coronæ MM. Bon. |
| b | *Idib.* | 15 | Isidori Martyris. |
| c | xvii. | 16 | Joann. Nep. Ubaldi Ep. C. |
| d | xvi. | 17 | Torpetis Martyris. |
| e | xv. | 18 | Erici Reg. Martyr. |
| f | iv. | 19 | Ivon. C. Advoc. Paup. Pudent. V. |
| g | xiii. | 20 | Bernard. Senen. (*Geminis.* |
| A | xii. | 21 | Senesii Th opompi M. *Sol in*) |
| b | xi. | 22 | Juliæ Mart. Basilisci Mart. |
| c | x. | 23 | Desiderii Ep. |
| d | ix. | 24 | Simeon. Stylitæ Junioris. |
| e | viii. | 25 | Urbani Papæ, & Mart. |
| f | vii. | 26 | Eleutherii Papæ, & Mart. |
| g | vi. | 27 | Joannis Papæ, & Mart. |
| A | v. | 28 | Germani Episc. Paris. |
| b | iv. | 29 | Theodosiæ Mart. |
| c | iii. | 30 | Felicis Papæ, & Mart. |
| d | *Pridie* | 31 | Petronillæ Virginis. |

*Habet dies XXX. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| c | *Kal.* | 1 | Simeonis Confessoris. |
| f | iv. | 2 | Erasmi Episc. Marcel. Soc. MM. |
| g | iii. | 3 | Clotildis Reginæ. |
| A | *Pridie* | 4 | Guasberti Conf. Optati Episc. |
| b | *Nonæ* | 5 | Bonifacii Episc. & Martyr. |
| c | viii. | 6 | Norberti Episc. & Confessor. |
| d | vii. | 7 | Roberti Abbatis. |
| e | vi. | 8 | Medardi Epis. & M. Victori. C. |
| f | v. | 9 | Primi, & Feliciani MM. |
| g | iv. | 10 | Onuphrii Eremitæ. |
| A | iii. | 11 | Barnabæ Apostoli. |
| b | *Pridie* | 12 | Basilidis, & Soc. MM. |
| c | *Idib.* | 13 | Antonii de Padua. Ferdin. C. |
| d | xviii. | 14 | Basilii Magni Epis. & Conf. |
| e | xvii. | 15 | Viti, Modesti, atque Cresc. MM. |
| f | xvi. | 16 | Franc. Reg. S. J. C. Bertholdi Conf. |
| g | xv. | 17 | Adolphi Episcopi. |
| A | xiv. | 18 | Marcelli, & Marcelliani MM. |
| b | xiii. | 19 | Julian. de Falc. V. Gervas. & Pro-) |
| c | xii. | 20 | Silverii P. & M. (tasii M. 1. |
| d | xi. | 21 | Aloysii C. S. J. *Sol in Cancro.* |
| e | x. | 22 | Paulini Ep. & Conf. Achatii M. |
| f | ix. | 23 | Sidoniæ Virg. *Vig.* † |
| g | viii. | 24 | *Nativitas S. Joannis Baptistæ.* |
| A | vii. | 25 | Febroniæ V. M. Gallicani M. |
| b | vi. | 26 | Joannis, & Pauli MM. |
| c | v. | 27 | *Ladislai Confess. Regis Hungar.* |
| d | iv. | 28 | Leonis Papæ, & Conf. *Vig.* † |
| e | iii. | 29 | *Petri, & Pauli Apostolorum.* |
| f | *Pridie* | 30 | Commemoratio S. Pauli Apost. |

*Habet dies XXXI. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| g | *Kal.* | 1 | Eberhardi Episcopi. |
| A | vi | 2 | *Visitatio B. V. M.* |
| b | v. | 3 | Heliodori Episcopi. |
| c | iv. | 4 | Udalrici Episcopi. |
| d | iii. | 5 | Wilhelmi Abbatis. |
| e | *Pridie* | 6 | Godolevæ Mart. |
| f | *Nonæ* | 7 | Wilibaldi Episc. (cum Soc. M. |
| g | viii. | 8 | Elisabet. Reg. Portug. Kiliani) |
| A | vii. | 9 | Anatoliæ Virg. M. Lucretiæ V. |
| b | vi. | 10 | Sept. Fr. MM. cum S. Fel. Matre. |
| c | v. | 11 | Pii Papæ, & Mart. |
| d | iv. | 12 | Naboris, & Felicis MM. |
| e | iii. | 13 | Margaritæ Virg. M. in Hungar. |
| f | *Pridie* | 14 | Bonav. Episc. & C. |
| g | *Idib.* | 15 | Divisio Apostol. Henrici Imp. |
| A | xvii. | 16 | Fausti M. Vitaliani Episc. |
| b | xvi. | 17 | Alexii C. Andr. & Bened. MM. |
| c | xv. | 18 | Symphorosæ cum 7. Fil. MM. |
| d | xiv. | 19 | Vincentii à Paulo. Arsenii Conf. |
| e | xiii. | 20 | Marg. V. & M. in Ger. Eliæ Pr. |
| f | xii. | 21 | Danielis Proph. *Sol in Leone.* |
| g | xi. | 22 | *Mariæ Magdalenæ.* |
| A | x. | 23 | Apollinaris Episc. & Mart. |
| b | ix. | 24 | Christinæ V. & M. *Vig.* † |
| c | viii. | 25 | *Jacobi Apost.* Christophori M. |
| d | vii. | 26 | *Annæ Matris B. V. M.* |
| e | vi. | 27 | Pantaleonis M. |
| f | v. | 28 | Innocentii Papæ, & Mart. |
| g | iv. | 29 | Marthæ Virginis. |
| A | iii. | 30 | Abdon, & Senen MM. |
| b | *Pridie* | 31 | Ignatii Lojolæ Conf. S. J. Fund. |

*Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| c | *Kal.* | 1 | Petri ad Vincula. Machab. M. |
| d | iv. | 2 | Stephani Pap. & M. Portiunc. |
| e | iii. | 3 | Inventio S. Stephani Protom. |
| f | *Pridie* | 4 | Dominici Confess. |
| g | *Nonæ* | 5 | Dedicatio S. MARIÆ ad Nives. |
| | viii. | 6 | *Transfiguratio Domini.* |
| | vii. | 7 | Cajetani Conf. Donati Ep. & M. |
| c | vi. | 8 | Cyriaci, & Socior. MM. |
| d | v. | 9 | Romani Mart. *Vig.* † |
| e | iv. | 10 | *Laurentii Martyris.* |
| f | iii. | 11 | Tiburtii, & Susannæ MM. |
| g | *Pridie* | 12 | Claræ Virginis. |
| A | *Idib.* | 13 | Hippolyti, & Cassiani MM. |
| b | xix. | 14 | Eusebii C. Athan. V. *Vig.* † |
| c | xviii. | 15 | *Assumptio B. M. V.* |
| d | xvii. | 16 | Hyacinthi Confess. & Rochi. |
| e | xvi. | 17 | Sybillæ Virginis. |
| f | xv. | 18 | Helenæ Mat. Con. Mag. Imp. |
| g | xiv. | 19 | Ludovici Tolosani Episc. |
| A | xiii. | 20 | *Stephani Reg. Hung.* Bern. Abb. |
| b | xii. | 21 | Anastasii Mart. & Fidel. Mart. |
| c | xi. | 22 | Timothei, & Soc. MM. |
| d | x. | 23 | Philip. Ben. *Vig.* † *Sol in Virg.* |
| e | ix. | 24 | *Bartholomæi Apostoli.* |
| f | viii. | 25 | Ludovici Regis Franc. Confess. |
| g | vii. | 26 | Zephyrini Papæ, & Mart. |
| A | vi. | 27 | Cæsarii Episcopi. |
| b | v. | 28 | Augustini Ep. C. & Eccl. Doct. |
| c | iv. | 29 | Decoll. S. Joan. Bap. Sabinæ V. |
| d | iii. | 30 | Felicis, & Adaucti MM. |
| e | *Pridie* | 31 | Raymundi Nonnati Confess. |

*Habet dies XXX. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| f | *Kal.* | 1 | Ægidii Abbatis. |
| g | iv. | 2 | Angeli Custodis. Jodoci Episc. |
| A | iii. | 3 | Mansueti Episc. Alberti Conf. |
| b | *Pridie* | 4 | Rosaliæ Virg. Rosæ Virg. |
| c | *Nonæ* | 5 | Victorini Mart. Eudoxii Mart. |
| d | viii. | 6 | Magni Abbat. Zachariæ Proph. |
| e | vii. | 7 | Reginæ Virg. & Mart. |
| f | vi. | 8 | *Nativitas B. M. V.* |
| g | v. | 9 | Gorgonii Martyris. |
| A | iv. | 10 | Nicolai Tolent. Confess. |
| b | iii. | 11 | Hyacinthi M. Patientis Episc. |
| c | *Pridie* | 12 | Guidonis Confess. & Tobiæ. |
| d | *Idib.* | 13 | Mauritii Episc. |
| e | xviii. | 14 | *Exaltatio S. Crucis.* |
| f | xvii | 15 | Hildegardis V. Nicomedis M. |
| g | xvi. | 16 | Euphemiæ Virg. |
| A | xv. | 17 | Stigm. S. Franc. Lamb. Episc. |
| b | xiv. | 18 | Thomæ à Villa nova. (Soc. MM. |
| c | xiii. | 19 | Constantiæ V. & M. Jan. Ep. &) |
| d | xii. | 20 | Eustachii, & Soc. MM. *Vig.* † |
| e | xi. | 21 | *Matthæi Apost. & Ev.* Jonæ Pr. |
| f | x. | 22 | Mauri, & Soc. MM. *Sol in Libra.* |
| g | ix. | 23 | Lini Pap. M. Theclæ Virg. & M. |
| A | viii. | 24 | Fest. B. M. V. de merc. Ger. Ep. & M. |
| b | vii. | 25 | Cleophæ Discip. Christi. |
| c | vi. | 26 | Cypriani, & Justinæ MM |
| d | v. | 27 | Cosmæ, & Dam. MM. Elzeæ C. |
| e | iv. | 28 | Wenceslai Martyr. |
| f | iii. | 29 | *Dedicat. S. Michaëlis Archang.* |
| g | *Pridie* | 30 | Hieron. Presb. C. & Eccl. Doct. |

# OCTOBER.

*Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| A | *Kal.* | 1 | Remigii Episc. Niceti Episc. |
| b | vi. | 2 | Leodegarii Episc. & Mart. |
| c | v. | 3 | Simplicii Confess. |
| d | iv. | 4 | Francisci Confess. |
| e | iii. | 5 | Placidi, & Sociorum MM. |
| f | *Pridie* | 6 | Brunonis Confess. |
| g | *Nonæ* | 7 | Marci Papæ Confess. |
| A | viii. | 8 | Birgittæ Vid. Pelagiæ Pœnit. |
| b | vii. | 9 | Dionysii, & Socior. MM. |
| c | vi. | 10 | Franc. Borg. C. S. J. Theoph. C. |
| d | v. | 11 | Jacobi Alemanni Confess. |
| e | iv. | 12 | Maximiliani Episc. & Mart. |
| f | iii. | 13 | Colomanni Mart. |
| g | *Pridie* | 14 | Callisti Papæ Mart. |
| A | *Idib.* | 15 | Theresiæ Virg. |
| b | xvii. | 16 | Galli Abbatis. |
| c | xvi. | 17 | Hedvvigis Duc. Andreæ Mart. |
| d | xv. | 18 | Lucæ Evangelistæ. |
| e | xiv. | 19 | Petri de Alcant. Ferdin. Episc. |
| f | xiii. | 20 | Caprasii Mart. |
| g | xii. | 21 | Ursulæ & Soc. MM. |
| A | xi. | 22 | Cordulæ Virg. & Mart. |
| b | x. | 23 | Severini Ep. M. *Sol in Scorp.* |
| c | ix. | 24 | Procli Episc. Crispini Conf. |
| d | viii. | 25 | Chrysanthi, & Dariæ MM. |
| e | vii. | 26 | Demetrii Mart. |
| f | vi. | 27 | Sabinæ Virg. *Vig.* † |
| g | v. | 28 | *Simonis, & Judæ Apostolor.* |
| A | iv. | 29 | Narcissi Episcopi. |
| b | iii. | 30 | Marcellini Mart. |
| c | *Pridie* | 31 | Wolffgangi Episcopi. *Vig.* † |

NO-

# NOVEMBER.

*Habet dies XXX. Luna verò 29.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| d | *Kal.* | 1 | *Omnium Sanctorum.* |
| e | iv. | 2 | Commemor. Omn. Fidel. Defun. |
| f | iii. | 3 | Huberti Episc. |
| g | *Pridie* | 4 | Caroli Borromæi Episc. |
| A | *Nonæ* | 5 | *Emerici Confess.* |
| b | viii. | 6 | Leonardi Confess. |
| c | vii. | 7 | Engelberti Episcopi. |
| d | vi. | 8 | 4. Coronat. MM. Godefr. M. |
| e | v. | 9 | Dedic. Basil. Salvat. Eustoliæ V. |
| f | iv. | 10 | Tryphonis Mart. |
| g | iii. | 11 | *Martini Episcopi.* |
| A | *Pridie* | 12 | Martini Papæ Mart. |
| b | *Idib.* | 13 | Stanisl. Kost. S. J. Homoboni. |
| c | xviii. | 14 | Serapionis Mart. |
| d | xvii. | 15 | Leopoldi Conf. March. Austr. |
| e | xvi. | 16 | Edmundi Conf. |
| f | xv. | 17 | Gregorii Thaumaturgi. |
| g | xiv. | 18 | Dedicat. Basil. Petri, & Pauli. |
| A | xiii. | 19 | *Elisabethæ Vid. Reg. Hung.* |
| b | xii. | 20 | [illegible]icis de Valois. Corbin. Ep. |
| c | xi. | 21 | Præsentatio B. M. V. |
| d | x. | 22 | [illegible]ciliæ V.M. *Sol in Sagittario.* |
| e | ix. | 23 | C ementis Papæ Mart. |
| f | viii. | 24 | Joan. à Cruce. Chrysogoni Mart. |
| g | vii. | 25 | *Catharinæ Virg. & Mart.* |
| A | vi. | 26 | Conradi Episcopi. |
| b | v. | 27 | Facundi Episcopi. |
| c | iv. | 28 | Rufini Mart. |
| d | iii. | 29 | Saturnini Mart. *Vig.* † |
| e | *Pridie* | 30 | *Andreæ Apostoli.* |

DE-

# DECEMBER.

*Habet dies XXXI. Luna verò 30.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| f | *Kal.* | 1 | Eligii Episcopi. |
| g | iv. | 2 | Bibianæ Virg. & Mart. |
| A | iii. | 3 | Francisci Xaverii Confess. S. J. |
| b | *Pridie* | 4 | Barbaræ Virg. Mart. |
| c | *Nonæ* | 5 | Placidi Mart. Sabæ Abbat. |
| d | viii. | 6 | *Nicolai Episc. & Confess.* |
| e | vii. | 7 | Ambr Ep. C. & Ec.D. (*Jejun. in* |
| f | vi. | 8 | *Conceptio B. V. M. Austr.*) |
| g | v. | 9 | Leocadiæ Virg. & Mart. |
| A | iv. | 10 | Melchiadis Papæ. Judithæ. |
| b | iii. | 11 | Damasi Papæ Confess. |
| c | *Pridie* | 12 | Synesii Mart. |
| d | *Idib.* | 13 | Luciæ Virg. Mart. |
| e | xix. | 14 | Nicasii Episc. |
| f | xviii. | 15 | Irenæi Mart. |
| g | xvii. | 16 | Albinæ Virg Mart. |
| A | xvi. | 17 | Lazari Episc. Confess. |
| b | xv. | 18 | Gratiani Episc. Modesti Episc. |
| c | xiv. | 19 | Nemesii Mart. |
| d | xiii. | 20 | Theophili Mart. *Vig.* † |
| e | xii. | 21 | *Thomæ Apostoli.* |
| f | xi. | 22 | Zenonis M. *Sol in Capricorno.* |
| g | x. | 23 | Victoriæ Virg. Mart. |
| A | ix. | 24 | Adami, & Evæ. *Vig.* † |
| b | viii. | 25 | *Nativitas D. N. J. C.* |
| c | vii. | 26 | *Stephani Proto-Mart.* |
| d | vi. | 27 | *Joannis Apostoli & Evangel.* |
| e | v. | 28 | *Innocentium MM.* |
| f | iv. | 29 | Thomæ Episc. |
| g | iii. | 30 | David Regis. |
| A | *Pridie* | 31 | Silvestri Papæ Confess. |

Ex

*Ex quot diebus constet unusquisque mensis?*

TRiginta Aprilis, Junius, Septémque, Novémque:
Uno plus alii: viginti Februus octo:
At si Bissextus fuerit, superadditur unus:
Et tunc Bis-Sexto Marti conscribe Kalendas.

*De num. Non. ac Iduum singulor. mensium.*

SEx Nonas Majus, October, Julius, & Mars;
Quatuor at reliqui, dabit Idus quilibet 8.

Et notandum, primo quoque die mensis dicendum, Kalendis: quinto, Nonis: decimo tertio, Idibus, ubi Nonæ quatuor: ubi verò sex, septimo, Nonis: decimoquinto, Idibus, in casu sexto. Reliquis autem diebus, pridie, tertio, quarto Kalendas, aut Nonas, aut Idus, in casu quarto, retrorsum numerando usque ad eum diem, quo aut Kalendis, aut Nonis, aut Idibus dicimus: quod apud probatissimos quosque licet intueri.

*Quando inchoatur Adventus Domini?*

ADdventus Domini inchoatur Dominica proximiori Festo S. Andreæ, vel ipsa die S. Andreæ, si in Dominica venerit.

*Quatuor Tempora.*

QUatuor Tempora celebrantur quartâ, & Sextâ Feriâ, ac Sabbatô post tertiam Dominicam Adventûs; post primam Dominicam Quadragesimæ; post Dominicam Pentecostes; post Festum Exaltationis S. Crucis.

*Nuptiæ juxta decretum Concilii Tridentini.*

A Dominica prima Adventûs usque in diem Epiphaniæ, & à Feria 4. Cinerum usque Octavam Paschatis inclusivè, sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet; in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

Quia

*Quia per decursum anni valde frequenter in obeundis SS. Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis conceduntur Indulgentiæ plenariæ iis, qui pro Concordia Principum Christianorum, Hæresum extirpatione, & Ecclesiæ Catholicæ augmento preces fuderint, ideò hunc in finem 3. subsequentes precatiunculas ante, vel post Comunionem elicito prius de peccatis omnibus dolore, orare conducet.*

I.

DEUS largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis, Regibus, & Principibus Christianis veram cum tua voluntate Concordiam; ut, bellis, dissensionibus, & omni perturbatione submota, secura tibi serviat Christiana libertas.

*Subjunge* 2. Pater, & Ave.

II.

OMnipotens, sempiterne DEUS, qui neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.

*Subjunge* 2. Pater, & Ave.

III.

DEUS, omnium fidelium Pastor, & Rector, cujus spiritu totum Corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur, quique gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelâsti; custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua, toto orbe diffusa, bonorum omnium incrementô augeatur, & stabili fide in Confessione tui nominis perseveret, per eundem Dominum nostrum JESUM Christum, Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. Am.

*Subjunge* 3. Pater, & Ave.



S.S. TRINITAS.

# CULTUS SS. TRINITATIS.

## OFFICIUM PARVUM SS. TRINITATIS.

O Sacroſancta Trinitas, DEUS meus, & omnia! ego pulvis, & limus terræ, coram Majeſtate tua proſtratus, ſupplico, ut mihi gratiam tuam largiri digneris, qua vires, & operationes meæ omnes, ſincerè ad tuam gloriam, atque cultum tendant; maximè in hoc ſancto exercitio, quod hodie, pro mea tenuitate, ad amorem tuum augendum, præparo. Amen.

### AD MATUTINUM.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas atque indivisa Unitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, nunc & in perpetuum, Am.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c. Allel.

*Vel à Septuageſima uſque ad Paſcha.* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

O Æviterna Trinitas!
Et Principalis unitas:
Fili, Patérque maxime,
Utrique compar Spiritus!
Te semper absque termino
Immensam adorant, prædicant
Cœleſtia, & terreſtria,
Et tota mundi machina,
Et nos puſillus debitis

Grex, te ſonamus laudibus,
Totis medullis cordium,
Totis canentes viribus:
Te fons ſalutis Trinitas,
Collaudet omnis ſpiritus,
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Ant. Benedicta ſit ſancta Creatrix, & Gubernatrix omnium, Sancta, & individua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis, in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia Majeſtatis adorare Unitatem; quæſumus: ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum, &c.

℣. Domine exaudi orationem meã. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Dño. ℟. Deo gratias.
℣. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

Benedicta, & laudata, &c. *ut ſuprà ad Matut.*
℣. Deus in adjutorium, &c. *Hymnus.*

A Patre conſors gignitur
Patris figura Filius:
Uterque Sanctum Spiritum
Amore ſpirat cõpari.
Nihil hìc prius, nîl tardius:
Nîl majus eſt, vel ſanctum:
Una eſt tribus ſubſtantia.
Æqualis eſt & gloria.
O æviterna Trinitas:
O principalis Unitas
Te, quidquid aſtris clauditur

Lau-

Laudet perenni jubilo Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c. ùt suprà.

*Antiph.* Gloria sit tibi Trinitas, æqualis una Deitas; ùt ante omnia sæcula, sic nunc, & in perpetuum.

℣. Domine exaudi, &c.

*Oratio.* Omnipotens, sempiterne, &c. ùt sup. fol. 2.

AD PRIMAM.

Benedicta, & laudata, &c. ùt supr. fol. 1.

℣. Deus in adjutorium, &c. *Hymnus.*

Tu fons, origo, & terminus,
Rerum Creator omnium:
Tu solus Ens es entium,
Et læta spes credentium:
Tibi catervæ Cœlitum,
Tibi corona siderum;
Ter Sanctus illud æmulis
Carmen perennant vocibus.
O æviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te, quidquid orbe vertitur,
Laudet perenni jubilo. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c. ùt sup. fol. 2.

*Ant.* Gloria laudis resonet in ore omnium, Patri, genitæque Proli, Spiritui Sancto pariter resultet, laude perenni.

℣. Domine exaudi, &c.

*Oratio.* Omnipotens, sempiterne, &c. ùt sup. fol. 2.

AD TERTIAM.

Benedicta, & laudata, &c. ùt suprà ad Matut.

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

Tu totus es mirabilis,
Et totus acceptabilis,
Deus pius, laudabilis;
Æquale nusquam Numen est:
Dextræ tuæ potentiam,
Mentem futuri providam,
Infinitatem gloriæ,
Creata laudant omnia.
O æviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Quos luce donas cœlica,
Serva potenti dexterâ. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, ùt suprà.

*Ant.* Laus, & perennis gloria Deo Patri, & Filio, Sancto simul Paraclyto, in sæculorum sæcula.

℣. Domine exaudi, &c.

*Oratio.* Omnipotens, &c. *ut sup.* fol. 2.

AD SEXTAM.

Benedicta, & laudata, &c. *ut sup.* fol. 1.

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

TU cuncta solus efficis,
Cunctísque solus sufficis;
Tu sola merces omnium
Es, liberale præmium.
Par est: tuæ nos gratias
Dignas referre gratiæ,
Tuísque semper obsequi,
Promptos clientes legibus.
O æviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te, quidquid astris clauditur,
Laudet per omne sæculum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c.

*Ant.* Tres sunt: qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.

℣. Domine exaudi, &c.

*Oratio.* Omnipotens, &c. *ut sup.* fol. 2.

AD NONAM.

Benedicta, & laudata, &c. *ut sup.* fol. 1.

*Hymnus.*

HOc vile plasma jusseras
Formam referre Numinis:
Potiri ut olim cœlicâ
Cunctis liceret gloriâ.
At culpa, cùm nos impios
Damnâsset, ipse liberas,
Tibíque rursus illigas,
O ter beata charitas!
O æviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Quos unda mundat gratiæ,
Torrens beet nos gloriæ. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *ut supr.*

*Ant.* Te invocamus, te laudamus, te adoramus, ô beata Trinitas! libera nos, salva nos, vivifica nos, ô immensa Bonitas!

℣. Do-

℣. Domine exaudi, &c.
*Oratio.* Omnipotens, *ùt sup.* fol. 2.

AD VESPERAS.

Benedicta, & laudata, &c. *ùt sup.* fol. 1.
℣. Deus in adjutorium, &c. *Hymnus.*

O Altitudo gloriæ,
Fons omnis affluentiæ!
Thesaurus haud effabilis,
Ignara lux caliginis!
Nos, Trinitas, illumina,
Et cuncta tolle crimina:
Ut Trinitatis pectora
Amore flagrent omnia.
O æviterna Trinitas!
O Principalis Unitas!
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c. *ùt sup.*
*Ant.* Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclytum, Sanctam, & individuam Trinitatem, toto corde, & ore confitemur, laudamus, ac benedicimus; Tibi gloria in sæcula.
℣. Domine exaudi, &c.
*Oratio.* Omnipotens, &c. *ùt sup.* fol. 2.

AD COMPLETOR.

Benedicta, & laudata, &c. *ùt sup.* fol. 1.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

QUi terram, & astra, & omnia,
Undante reples gloria;
Nostras beati flumine
Mentes amoris ebria:
Ut te piis affectibus,
Isthic, & in cœlestibus,
Trinum, unicúmque perpeti
Laudemus ævo Principem.
O æviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te corda, & ora, & omnia,
Laudent perenni jubilo. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, &c.
*Ant.* Benedicat nos Deus Pater, qui cun-

creavit ex nihilo; Benedicat nos Deus Filius, qui hominem perditum redemit sanguine proprio; Benedicat nos Deus Spiritus Sanctus, cujus nos salvet piæ consolationis infusio. Amen.

℣. Domine exaudi, &c.

*Oratio.* Omnipotens, &c. *ut sup.* fol. 2.

COMMENDATIO.

Tibi æviterna Trinitas,
Hæc nostra laudum cantica,
Puro sacramus pectore,
Cœlestibus cum laudibus.
Repone, quæ neglesimus,
Ignosce, quæ deliquimus,
Ad nos benigna respice,
Et mortis horâ suscipe. Amen.

*BENEDICTIONES.*

Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. Amen.

Unigenitus Dei Filius nos benedicere, & adunare dignetur. Amen.

Spiritûs Sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra. Amen.

Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors Dominus. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

LITANIÆ

*De Sanctiss. Trinitate.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

O beata Trinitas. Audi nos.

O Adoranda Unitas. Exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Vera, & una Trinitas, miserere nobis.

Una, & summa Deitas, miserere nobis.

Sancta, & indivisa Unitas, miserere nobis.

Unitas in substantia, & Trinitas in personis, miserere nobis.

Una, & par potentia, miserere nobis.

Una, & coæterna Majestas, mis.
Una, & æqualis gloria, mis.
Una, & Divina Trinitas, mis.
Pater Creator, mis.
Fili Redemptor, mis.
Spiritus Sancte Paraclyte, mis.
Deus unus in substantia, & trinus in personis, mis.
Pater ingenite, mis.
Fili unigenite, mis.
Spiritus S. ex utroque procedens, mis.
Una sancta Creatrix, & Gubernatrix omnium Trinitas, mis.
Immensa æterni Patris potentia, mis.
Inscrutabilis Filii Dei Sapientia, mis.
Efficacissima Spiritûs Sancti bonitas, mis.
Una, & simplex Divinitas, mis.
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, mis.
Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, mis.
In quo vivimus, movemur, & sumus, miserere nobis.
Ex quo, in quo, & per quem sunt omnia, miserere nobis.
Rex sæculorum immortalis, & invisibilis, mis.
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, miserere.
Qui eras, qui es, & qui venturus es, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus unus Deus, mis.
Propitius esto, Parce nobis SS. Trinitas.
Propitius esto, Exaudi nos SS. Trinitas.
Ab omni malo. Libera nos SS. Trinitas.
Ab omni peccato, lib.
Ab omni superbia, & pertinacia, lib.
Ab omni avaritia, & cupiditate, lib.
A gula, & amore mundi, lib.
Ab omni invidia, & odio, lib.
Ab ira, & omni mala voluntate, lib.
Ab omni luxuria, & immunditia, lib.
Ab omni acedia, & pusillanimitate, lib.
A maledictione perpetua, lib.

Per fortitudinem omnipotentiæ tuæ, lib.
Per Majeſtatem gloriæ tuæ, lib.
Per abundantiam bonitatis tuæ, lib.
Per magnitudinem charitatis tuæ, lib.
Per multitudinem miſerationum tuarum, libera.
Per abyſſum judiciorum tuorum, lib.
Per altitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ tuæ, lib.
Per divitias beatitudinis tuæ, lib.
In die judicii, Libera nos SS. Trinitas
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut te Dominum, Deum noſtrum adoremus, & tibi ſoli ſerviamus, Te rogamus.
Ut nomen ſanctum tuum in vanum non aſſumamus. Te rog.
Ut Eccleſiæ dies feſtos obſervemus, & ſanctificemus, Te rog.
Ut parentes, & ſuperiores noſtros obediendo, & ſubveniendo honoremus, Te rogamus.
Ut neque factô, neque conſiliô ullum occidamus, vel lædamus, Te rogamus.
Ut nec mente, neç corpore turpia unquam committamus, Te rogamus.
Ut furtum non faciamus, nec quemquam contra juſtitiam gravemus, Te rog.
Ut contra proximum falſum teſtimonium, vel mendacium nunquam loquamur. Te rogamus.
Ut proximi bona nunquam concupiſcamús, aut invideamus; Te rogamus
Ut ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine te diligamus, Te rog.
Ut proximum propter te, ſicut nos ipſos, ſyncerè diligamus. Te rogamus.
Ut ad conſpectum gloriæ tuæ nos perducere digneris, Te rogamus.
Deus Genitor, Deus Genite, Deus ex utroque procedens, Te rogamus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Redde nobis Patrem propitium.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Propitius esto nobis peccatoribus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Dona nobis Spiritum Sanctum.

O beata Trinitas! Audi nos.

O adoranda Unitas! Exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

℣. Benedicant te omnes Angeli, & Sancti tui:

℟. Et laudent te, & glorificent in sæcula.

℣. Benedicant te cœli, mare, terra, & omnia, quæ in eis sunt:

℟. Et laudent te, & glorificent in sæcula.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu;

℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

DEus innocentiæ restitutor, & amator; dirige ad te tuorum corda servorum: ut spiritûs tui fervore conceptô, & in fide in-

veniamur ſtabiles, & in opere efficaces.

Omnipotens, ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum; & ut mereamur aſſequi, quod promittis; fac nos amare, quod præcipis.

Largire, quæſumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem; ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecurâ tibi mente deſerviant.

Omnipotens, ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum, & ſalvandum nos, dexteram tuæ Majeſtatis clementer extende. Per Dominum noſtrum, &c. Divinum auxilium maneat, &c.

CONFESSIO
Omnipotentis Dei, Trini, & Unius.
*Ex Meditat. S. Auguſtini. cap. 12.*

O Summa Trinitas, virtus una, & indiſcreta Majeſtas, Deus noſter, Deus Omnipotens! confiteor tibi ego ultimus ſervorum tuorum, & exiguum membrum Eccleſiæ tuæ: confiteor tibi, honorifico te debitô ſacrificiô laudis, pro ſcire, & poſſe, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera deſunt, quæ poſſim offerre: ea, quæ in me ſunt, vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ, ecce libens atque ovans offero tibi de fide non ficta, & conſcientia pura. Credo igitur, te toto corde, Rex cœli, & terræ Domine: & oro te, confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in perſonis trinum, & in ſubſtantia unum, verum Deum, Omnipotentem, unius ſimplicis, incorporeæ, inviſibilis, & incircumſcriptæ naturæ, nihil te ſuperius, aut inferius, majúsve aliquid habentem: ſed per omnem modum ſinè

deformitate perfectum, sinè quantitate magnum, sinè qualitate bonum, sinè tempore sempiternum, sinè morte vitam, sinè infirmitate fortem, sinè mendacio verum, sinè situ ubique præsentem, sinè loco ubique totum; sinè extensione omnia implentem, sinè contradictione ubique occurrentem, sinè motu omnia transcendentem, sinè statu inter omnia manentem, sinè indigentia omnia creantem, sinè labore omnia regentem, sinè tui initio omnibus initia dantem, sinè tui mutatione omnia mutabilia facientem: in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consiliis terribilem, in judiciis justum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum, semper in idipsum æternum, ac sempiternum, immortalem, atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec brevitas locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent: cui nec oblivio tollit quicquam, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit, sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula, in æternum vivis; & est tibi perennis laus, & æterna gloria, summa potestas, & singularis honor, perpetuum regnum, sinè fine imperium, per infinita, & indefessa, & immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Vide p. 427.

*ALIA S. BERNARDI ABBATIS.*

O Beata, & beatifica Sanctiſſima Trinitas! ad te mea miſera Trinitas miſerabiliter ſuſpirat; quoniam à te infeliciter exulat. Diſcedens à te quantis ſe intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me! qualem pro te commutavimus Trinitatem! Cor meum conturbatum eſt, & inde dolor; dereliquit me virtus mea, & inde pavor: & lumen oculorum meorum non eſt mecum, & inde error. En qualem diſſimilem Trinitatem animæ meæ Trinitas exulans offendiſti! Verumtamen quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; cùm error videlicet à ratione, & voluntate dolor, atque à memoria timor omnis receſſerit, & ſucceſſerit illa, quam ſperamus, mira ſerenitas, plena ſuavitas, æterna ſecuritas. Primum illud faciet veritas Deus, ſecundum charitas Deus, tertium ſumma Poteſtas Deus, ut ſit Deus omnia in omnibus, ratione accipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem conſequente, memoriâ fonti indeficienti æternaliter inhærente.

*ALIA PETRI CANISII S. J.*

EGo N. Chriſtiano nomine prorſus indignus. Te Deum Patrem ingenitum; Te Deum Filium Unigenitum; Te Deum Spiritum Sanctum Paracletum, ter beatam, æternam, ac individuam Trinitatem, corde, & ore confiteor, laudo, atque benedico. Te unum, verum, & omnipotentem Deum, rerum auctorem, & conſervatorem, à quo, & ad quem omnia, ſupplex adoro. Tuam immenſam potentiam, tuam æternam ſapientiam, tuam incomprehen-

henſibilem bonitatem agnoſco, & prædico Scio te ſolo nihil majus, nihil ſapientius, nihil melius eſſe poſſe. Celſitudinem, & gloriam Tuam, Cœli & Angeli, mundus & elementa, tum quæcunque ſubſiſtunt, & vivunt, ſentiunt, ac operantur, multis nominibus produnt: quanta virtus, ſapientia, & benignitas tua in homine condendo, & cùm lapſus eſſet, ac perditus, reſtituendo. O quantum charitati tuæ debemus, tam nobiliter ad imaginem, & ſimilitudinem tuam creati, tam carô pretiô redempti, tantis gratiæ donis cumulati, tam excellenter ad ſummam, cœleſtémque gloriam nobis à Te promiſſam ſublimandi! quid retribuam tibi, ô Sanctiſſima Trinitas, pro cunctis miſerationibus, & beneficiis tuis in humanum genus collatis? propter charitatem immenſam, quà nos etiam, antequam mundus fieret, præter omne meritum dilexiſti? Pro omnibus ergo, ſummæ bonitati tuæ gratias ago peculiares, quæ præclaris, veréque Divinis operibus hunc diem, quem jure Dominicum appellamus, mirificè cohoneſtâſti, atque conſecrâſti: operibus inquam, creationis, redemptionis, & ſanctificationis. Nam hoc die, qui primus eſt dierum omnium, præpotens dextera tua cœlum, & terram ex nihilo condidit. Hoc die Chriſtus mortis, peccati, Satanæque Victor, auguſta reſurrectione ſua, nobis ad beatam im̃ortalitatem aditum reſeravit. Hoc die Spiritus Sanctus ſuper Diſcipulos in linguis igneis apparuit, ſuæque gratiæ theſauros in Eccleſiam primùm effudit. Benedicamus ergo Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu; laudemus, & ſuperexaltemus eum in

sæcula : Ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Amen.

ALIA AD SS. TRINITATEM.

Pater cœlestis, qui creâsti me, cùm non essem: qui per Filium tuum redemisti me, cùm perditus essem; qui per Spiritum Sanctum regis, & gubernas me ab infantia mea, & ad ultimum beatitudinis æternæ finem, tam multis auxiliis, tanta cum beneficentia deducis: quam ego charitatem tantæ charitati tuæ rependam? Tribue ipse mihi, tu Pater piissime, eam, quam possim tibi dignè retribuere. Dirige, precor, cor meum in dilectione tui; da mihi charitatem rectam, ut amem in te, quod debeo: congaudeam ex præcordiis meis tibi de interno bono infinitæ tuæ, & essentialis perfectionis, de Majestate, de sapientia, de bonitate, de beatitudine tua superfelicissima, æterna, independente, prima, & à qua esse, & perfectio omnium creaturarum procedit, conservatur, & consummatur: congaudeam de æterno bono, & gloria nominis tui. Concupiscat anima mea incessanter in se, & in omnibus rebus augere hunc ipsum honorem tuum, & beneplacitum. Occupa, Deus meus, totum cor meum, quod multis modis totum tuum est, ut te solum diligam, cætera autem propter te. Tribue Deus meus, ut in omnibus beneplacitum tuum intendam, & quæram, nec quidquam nisì propter ipsum amem, & non solum statum vitæ meæ, sed singulos etiam actus ad ipsum dirigam. Amem & te, Domine Jesu Christe, qua intentione debeo, non tantum propter me, quia protector meus, salus mea, justitia, sapientia, vir-

tus.

tus, beatitudo, & bonum omne meum tu es: ſed potius diligam te propter te, quia Benefactor es, quia prior dilexiſti me, quia ſummè bonus, & ſummè amari dignus es. Amen & te Spiritus Alme, quomodo debeo, auge in me lumen diſcretionis, ad inveniendam, & implendam voluntatem tuam, ut Te ſecundùm te diligam, & non aliter, quàm, ùt tibi placet; ne proprium quidem bonum vitæ, aut patriæ velim; ut unus tecum Spiritus fiam; ut in te totus per omnimodam voluntatis conformationem transformer, & à me prorſus egrediens, & in te toto corde tranſiens, qui es ſumma & perfecta bonitas, & ſolus amabilis in ſempiterna ſæculorum ſæcula. Amen.

## SYMBOLUM S. ATHANASII.

Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt; ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisì quisque integram, inviolatámque ſervaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt: ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.

Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, una eſt Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni; ſed unus æternus.

Sicut

Sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes; sed unus omnipotens.

Ità Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii; sed unus est Deus.

Ità Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini; sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus; sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus S. non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil majus, aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ità, ut per omnia, sicut jam suprà dictum est, & Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ità de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta: ut credamus; & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus:

nitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

Perfectus Deus: perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Æqualis Patri ſecundùm Divinitatem: minor Patre ſecundùm humanitatem.

Qui licèt Deus ſit, & homo; non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem, non converſione Divinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro, unus eſt homo: ità Deus, & homo unus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos; ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica: quam niſì quisque fideliter, firmitérque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Gloria Patri, & Filio, &c.

## PROFESSIO *Fidei Catholicæ.*

EGo N. firma fide credo, & profiteor: omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quô ſancta Romana Eccleſia utitur; videlilet: Credo in unum DEUM Patrem, Omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, Lumen de lu-

mine, Deum verum de Deo vero; Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquásque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisì juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis, à JESU Christo, Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria; scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Or-

di-

dinem, & Matrimonium; illáque conferre gratiam: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto.

Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis, & defunctis; atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima: & Divinitate Domini noſtri JESU Chriſti: fieríque Converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari; ſimiliter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eósque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe; atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiã Poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarúmque uſum Chriſtiano populo maxi-

me

mè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanóque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, & definita, ac declarata: indubitanter recipio, atque profiteor; ſimul contraria omnia, & hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, & rejicio, & anathematizo. Hanc veram, Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego N. idem ſpondeo, voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

GUL-

# CULTUS DEI PATRIS

## OFFICIUM PARVUM DE DEO PATRE.

AD MATUTINUM.

TE Deum Patrem laudamus, Te Conditorem cœli, & terræ confitemur.
℣. Domine labia mea aperies:
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.
℣. Deus Pater in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Deo Patri: Sicut erat in Principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Allel.

*Hymnus.*

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ,
Mundi parans originem.
Qui manè junctum vesperi,
Diem vocari præcipis,
Fac, cedat omne noxium,
Purgetur omne pessimum.
℣. Benedicamus Deum Patrem.
℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.
*Ant.* Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo, Deo Patri in sæcula sæculorum. Am.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DA nobis, quæsumus, omnipotens æterne Deus, auxilium gra-

gratiæ tuæ: ut qui Te Patrem ingenitum, Deum verum, Creatorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium, esse credimus; in exequendis quoque mandatis tuis voluntate, & actione, semper tibi placeamus: qui Deus es in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Te Deum Patrem, &c. *ut sup.* 21. *Hymnus.*

IMmense cœli Conditor,
Qui, mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens,
Cœlum dedisti limitem.
Infunde nunc piissime,
Donum perennis gratiæ,
Fraudis novæ ne casibus,
Nos error vetus atterat.

℣. Benedicamus Deum Patrem, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Benedictus Dominus Deus Israël; qui fecit mirabilia solus, & benedictum nomen Majestatis ejus in æternum.

℣. *Cum Orat. ut suprà in Matut.*

AD TERTIAM.

Te Deum Patrem, &c. *ut supr.* *Hymnus.*

TElluris almæ Conditor,
Mundi solum qui separans,
Pulsis aquæ molestiis,
Terram dedisti immobilem:
Ut germen aptum proferens,
Staret decora floribus:
Munda virore gratiæ,
Mentis perustæ vulnera.

℣. Benedicamus Deum Patrem, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Benedictus es Domine Deus Pater in firmamento cœli; & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

℣. *Cum Orat. ut suprà in Matut.*

AD SEXTAM.

Te Deum Patrem, &c. *ut suprà.*

*Hymnus.*

COeli Deus Sanctissime,
Qui lucidas mundi plagas,

Can-

Cādore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Expelle noctem cordium,
Absterge sordes mentium,
Resolve culpæ vinculum,
Everte moles criminum.

℣. Benedicamus Deum Patrem, &c *ùt suprà.*

*Ant.* Deo Patri laus, & perennis gloria, ante omnia sæcula, nunc & in perpetuum.

℣. *Cum Orat. ùt suprà in Matut.*

AD NONAM.

Te Deum Patrem, &c. *ut sup*. *Hymnus.*

MAgne Deus Potentiæ,
Qui fertili natos aquâ,
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra:
Da, culpa nullum deprimat,
Nullum efferat jactantia,
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.

℣. Benedicamus Deum Patrem, &c. *ùt suprà.*

*Ant.* Gloria laudis resonet in ore omnium, Deo Patri, & resultet laude perenni.

℣. *Cum Orat. ùt suprà in Matut.*

AD VESPERAS.

Te Deum Patrem, &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

HOminis superne Conditor,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum jubes producere,
Reptantis, & feræ genus,
Et magna rerum corpora.
Da, gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera,
Tuæque pacis fœdera.

℣. Benedicamus Deum Patrem, *ùt suprà.*

*Ant.* Benedictus sit Deus Pater, Creator, & Gubernator omniū, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum.

℣. Cum

℣. *Cum Orat. ùt suprà in Matut.*

AD COMPLETOR.

Te Deum Patrem, &c. *ùt suprà.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus Pater in adjutorium, &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

SCrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus;
Confer medelam languidis,
Infunde lumen cordibus.
Te manè laudum carmine,
Te deprecamur vespere:
Digneris, ut te supplices,
Laudemus inter cœlites, Amen.

℣. Benedicamus Deum Patrem, &c. *ùt suprà.*

*Ant.* Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

℣. *Cum Orat. ùt suprà in Matut.*

*Oblatio ad DEUM Patrem.*

CLementissime Pater, æterne Deus, pro omnibus peccatis meis, & pro peccatis totius mundi, offero tibi Unigenitum tuum, in Cruce pendentem: omnem quoque passionem, dolorem, angustiam, pressuram, sanguinem, ac mortem ejus: offero tibi in ea charitate, & virtute, quâ olim semetipsum obtulit pro nobis in ara crucis. In ejusdem oblationis unione offero me ipsum tibi in laudem, gloriam, & beneplacitum tuum sempiternum. Amen.

*Alia cum sui plena resignatione ad DEUM Patrem.*

TIbi Domine sancte Pater, qui me, qualis, quantúsque sum, ex nihilo ad imaginem tuam creâsti,

tibi

tibi Domine offero me ipsum, qualis, quantúsque sum: sed cùm totus tuus sim, nihil tibi offero, quod tuum non sit; corpus enim opus manuum tuarum est, anima spiraculum spiritûs tui; & quidquid boni facere valeo, absque te non facio; si verò quid mali operor, hoc totum meum est: cùm autem voluntatem meam mihi subjeceris, hanc tibi offero Domine, ut, cùm totus in te fuero, nihil in me ipso sim. Fac ergo: quod tibi lubet, & in me fiat voluntas tua; extra cujus terminos, nec, si possem, vagari vellem. Tu enim vis salvos nos fieri, tu vis sanctificationem nostram, tu vis nos credentes in Filium tuum, non perire, sed vitam æternam habere; dirige ergo gressus nostros in viam mandatorum tuorum; & veni, ut nobiscum sis, nósque ad te trahas. Domine in flagella paratus sum, fiat ergo voluntas tua: tolle peccata mea à me, castiga corpus meum, da mihi crucem ferre, non qualem ego opto, sed qualem tu vis: omnia membra mea secundùm tuæ divinæ voluntatis beneplacitum mortifica, méque sic corrige, ut te nunquam offendere cupiam. Accipe, Domine sancte Pater, hanc oblationem meam, quam alacri corde tibi offero, & fac me semper in te esse, cùm nihil tibi extra te placeat. Amen.

## LITANIÆ
### *Ad DEUM Patrem.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater sancte. Audi nos.
Pater juste, Exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.

Pater noster, qui es in cœlis, mis.
Pater Domini nostri JEsu Christi, mis.
Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, mis.
Pater, peccavimus in cœlum, & coram te, miserere nobis.
Pater Deus, benedictus in sæcula, mis.
Pater, in spiritu & veritate adorande, mis.
Pater, sinè quo nemo venit ad Filium, mis.
Pater gloriæ, & Domine cœli, & terræ, miserere.
Qui misisti Filium in mundum, mis.
Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, miserere nobis.
Qui elegisti nos in filios ante mundi constitutionem, mis.
Qui prædestinâsti nos in adoptionem filiorum, mis.
Qui mysteria abscôndis à prudentibus & sapientibus, & revelas ea parvulis, mis.
Qui benedixisti nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, mis.
Qui dimittis nobis peccata nostra, mis.
Qui elegisti nos, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu tuo, mis.
Qui das spiritum bonum petentibus te, miserere.
Pater luminum, à quo omne bonum descendit, mis.
Pater vivificans, & mortuos suscitans, miserere.
Pater videns in abscondito, mis.
Agricola usque modò operans, mis.
Qui solem tuum oriri facis super bonos, & malos, mis.
Qui pluis super justos, & injustos, mis.
Qui numerâsti omnes capillos capitis nostri, mis.
Qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus eum tradidisti, mis.
Qui vocâsti nos in societatē Filii tui, mis.
Qui dignos nos fecisti, ut veniamus in par-

tem sortis sanctorum, miserere nobis.
Qui ad nuptias Filii nos vocâsti, mis.
Qui dilexisti nos, & dedisti consolationē æternam, mis.
Qui sic dilexisti mundum, ut Filium unigenitum dares, mis.
Qui magnificâ voce de cœlis delapsâ clarificâsti Filium tuum, miserere.
Qui tibi in Filio tuo bene complacuisti, miserere.
Cui complacuit dare nobis Regnum, mis.
Cujus faciem semper vident Angeli in cœlis, mis.
Qui, ut servum redimeres, Filium tradidisti, mis.
Qui talem charitatem dedisti nobis, ut filii tui nominemur, & simus, mis.
Qui voluisti nos conformes fieri imaginis Filii tui, mis.
Qui es super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, mis.
Qui parâsti regnum electis tuis ante mundi constitutionem, miserere.
Pater orphanorum, & Judex viduarum, mis.
Qui sinè acceptione personarum judicas secundùm opus uniuscujusque, mis.
In cujus domo sunt mansiones multæ, miserere nobis.
Pater benigne, patiens, & multæ misericordiæ, mis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, lib.
A potestate diaboli, libera nos.
Ab omnibus peccatorum occasionibus, & tentationibus, lib.
Ab insidiis inimicorum, lib.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, lib.
Ab omnibus adversantibus, & hostibus mentis, & corporis, libera nos.
A damnatione perpetua, lib.

Per altissimam, quâ intueris abyssos, scientiam tuam, lib.
Per immensam, quâ omnia ex nihilo creâsti, potentiam tuam, libera nos.
Per suavem, quâ cuncta gubernas, providentiam tuam, libera nos.
Per æternam, quâ mundum dilexisti, charitatem tuam, lib.
Per infinitam, quâ omnia imples, bonitatem tuam, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nomen tuum semper, & ubique sanctificetur, Te rogam.
Ut regnum tuum nobis advenire concedas, Te rog.
Ut semper fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, Te rog.
Ut panem nostrum quotidianum nobis dare digneris, Te rogamus.
Ut nos sub umbra alarum tuarum protegere, & ex omni tentatione eripere digneris, Te rog.
Ut nos ab omni malo liberare digneris, Te rogamus.
Ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur, Te rog.
Pater, in nomine Filii tui, Te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Reconcilia nos Patri.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Da nobis accessum ad Patrem.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Post hoc exilium ostende nobis Patrem.
Pater Sancte, Audi nos.
Pater juste, Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Protector noster aspice Deus:
℟. Et respice in faciem Christi tui.
℣. Memento nostri Domine in beneplacito tuo.
℟. Visita nos in salutari tuo.

℣. Osten-

℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui in omnibus Eccleſiæ tuæ filiis Chriſti Filii tui voce, manifeſtâſti ſatorem te bonorum ſeminum, & electorum palmitum eſſe cultorem! tribue quæſumus fidelibus tuis, qui vinearum apud te nomine cenſentur & ſegetum: ut ſpinarum, & tribulorum ſquallore reſecto, digna efficiantur fruge fœcundi.

Deus incommutabilis virtus, & lumen æternum, reſpice propitius ad totius Eccleſiæ tuæ corpus, & opus ſalutis humanæ, perpetuæ diſpoſitionis effectu tranquilliùs operare: ut totus mundus experiatur, & videat, dejecta erigi, inveterata renovari, & per ipſum redire omnia in integrum, à quo ſumpsêre principium.

Deus, celſitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per Unigenitum Filium tuum ità erudire mundum dignatus es, ut omnis illius actio fieret noſtra inſtructio excita in nobis ſpiritûs tui fervorem, ut quod ille verbô, & exemplô ſalubriter docuit, nos efficaciter imitari valeamus.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da nobis id amare, quod præcipis, deſiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Per Dominum, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino ℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

*Hymnus SS. Ambrosii, & Augustini.*

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cœli, & universæ potestates.

Tibi Cherubim, & Seraphim incessabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli & terra: Majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.

Patrem immensæ Majestatis.

Venerandum tuum, verum, & unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclytum Spiritum.

Tu Rex Gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.

Tu devictô mortis aculeô: aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæ umus, tuis famulis subveni: quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen

tuum

tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto ſinè peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos; quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, piiſſimæ Majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, ut, qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens, ad præmia futura diſponas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

# CULTUS DEI FILII.

## OFFICIUM PARVUM DE SS. NOMINE JESU.

### AD MATUTINUM.

IN nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine adadjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

JESU dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel, & omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nîl canitur suavius,
Auditur nîl jucundius,
Nîl cogitatur dulcius,
Quàm Jesus Dei Filius.

Jesu spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus?

Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium,

Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Jesum quæram in le-
ctulo,
Clausô cordis cubi-
culo,
Privatim & in pu-
blicô,
Quæram amore se-
dulo.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
*Ant.* Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur: Sanctum, & terribile nomen ejus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuũ; quia nunquam tuâ gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c.

AD PRIMAM.

In nomine Jesu, &c. *ut supra in Matut.*

*Hymnus.*

CUm Maria dilucu-
lô,
Jesum quæram in tu-
mulo,
Clamore cordis que-
rulo:
Mente quæram, non
oculô.
Tumbam perfundam
fletibus:
Locum replens gemi-
tibus:
Jesu provolvar pedi-
bus,
Strictis hærens am-
plexibus,
Jesu Rex admirabilis,
Et triumphator no-
bilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum, Do-
mine,
Et nos illustra lu-
mine,
Pulsa mentis caligi-
ne,
Mundum replens dul-
cedine.
Quando cor nostrum
visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vani-
tas,
Et intus fervet cha-
ritas.

Amor Jesu dulcissimus,
Et verè suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus.

Hoc probat ejus Passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis Redemptio
Datur, & Dei visio.

℣. Sit nomen, &c. *ùt suprà in Matut.*

*Ant.* A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Sancti nominis tui, &c. *ùt sup. in Mat.*

AD TERTIAM.

In Nomine Jesu, &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

JEsum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quærite;
Quærendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.

Jesu, auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ:
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam
Tuam videre gloriam.

Cùm dignè loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor facit, ut audeam,
Cùm de te solùm gaudeam.

Tua, Jesu, dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens sinè fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

℣. Sit nomen Dñi, &c.

*Ant.* Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.

℣. Do-

℣. Domine exaudi, &c.
*Oratio.* Sancti nominis, &c. *ut suprà.*

AD SEXTAM.

In nomine Jesu, &c. *ut suprà.*

*Hymnus.*

QUem tuus amor ebriat,
Novit, quid Jesus sapiat,
Quàm felix est, quem satiat!
Non est ultrà, quod cupiat.
Jesu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties:
Amor tuus continuus,
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus
Est, & vitæ perpetuus.
Jesu, summa benignitas;
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere
Jesum; nîl ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O Jesu mi dulcissime!
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.

℣. Sit nomen, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.
℣. *Cum Orat. ut supr.*

AD NONAM.

In Nomine Jesu, &c. *ut suprà in Mat.*

*Hymnus.*

QUocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero:
Quàm lætus, cùm invenero!

Quàm felix, cùm tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula:
Tunc felix Christi copula:
Sed in his parva morula.
Jam, quod quæsivi, video,
Quod concupivi, teneo,
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.
Jesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur;
Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit, & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor missus cœlitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hôc delectatur spiritus.
O beatum incendium!
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium!
Amare Dei Filium.

℣. Sit nomen Domini, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione, & generationem.

℣. *Cum Orat. ut suprà.*

AD VESPERAS.

In nomine Jesu, &c. *ut suprà.*

*Hymnus.*

JESU, flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis!
Veni, Veni, Rex optime,
Pater imensæ gloriæ,
Affulge menti clariùs,
Jam expectatus sæpiùs,
Jesu, sole serenior,
Et balsamô suavior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cujus gustus sic afficit,

Cujus

Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit:
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio:
Dilecte mi, revertere,
Consors paternæ dexteræ,
Hostem vicisti prosperè,
Jam cœli Regnô fruere.
Sequar te, quoquò ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cùm meum cor abstuleris,
Jesu laus nostri generis.

℣. Sit nomen Domini, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Sancti nominis tui, &c. *ut sup. in Mat.*

AD COMPLETOR.

IN nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut suprà.*

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

COeli cives, occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite;
Ave Jesu, Rex inclyte:
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ,
Jesu largitor veniæ,
Honor cœlestis curiæ.
Tu fons misericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem tristitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.
Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat,
Jesus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jesus in pace imperat,

Quæ omnem sensum
superat.
Hanc mea mens desi-
derat,
Et eâ frui properat.
Jesus ad Patrem rediit,
Cœleste regnū subiit,
Cor meū à me transiit,
Post Jesum simul
abiit.
Quem prosequamur
laudibus
Votis, hymnis, &
precibus,
Ut nos donet cœle-
stibus
Secum perfrui sedi-
bus. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.

*Ant.* Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

SAncti nominis tui, Domine; timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum, &c.

*Commendatio.*

SAlve Jesu, Jesu pie,
Fili Dei, & Mariæ,
Quem de Patre sinè
Matre,
Et de Matre sinè Patre,
Natum credo fir-
miter,
Sana me, & sanus ero,
Et sanabis hìc, ùt
spero,
Sic in cœlo te videre,
Cum Beatis possidere,
Gaudeam perenni-
ter.

4 LITANIÆ
*De SS. Nomine Jesu.*

KYrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Jesu Christe, Audi
nos.
Jesu Christe, Exaudi
nos.
Pater de cœlis Deus,
miserere nobis.
Fili Redemptor mundi
Deus, mis.
Spiritus Sancte Deus,
miserere.

Sancta Trinitas unus Deus, mis.
Jesu Fili Dei vivi, mis.
Jesu Fili Mariæ Virginis; mis.
Jesu sanctissime, mis.
Jesu potentissime, mis.
Jesu fortissime, mis.
Jesu perfectissime, mis.
Jesu gloriosissime, mis.
Jesu piissime, mis.
Jesu mirifice, mis.
Jesu charissime, mis.
Jesu dulcissime, mis.
Jesu jucundissime, miserere.
Jesu clarissime, mis.
Jesu clarior Sole, mis.
Jesu pulchrior Lunâ, miserere.
Jesu splendidior stellis, mis.
Jesu admirabilis, mis.
Jesu delectabilis, mis.
Jesu honorabilis, mis.
Jesu humillime, mis.
Jesu pauperrime, mis.
Jesu sapientissime, mis.
Jesu obedientissime, miserere.
Jesu castissime, mis.
Jesu amator castitatis, miserere.
Jesu amator pacis, mis.
Jesu amor noster, mis.
Jesu speculum vitæ, miserere.

Jesu exemplar virtutum; mis.
Jesu decus morum, miserere.
Jesu speculum perfectionis, mis.
Jesu zelator animarum, mis.
Jesu refugium nostrum, mis.
Jesu Pater pauperum, miserere.
Jesu Consolator afflictorum, mis.
Jesu Thesaurus fidelium, mis.
Jesu gemma pretiosa, miserere.
Jesu armarium perfectionis, mis.
Jesu stella maris, mis.
Jesu lux vera, mis.
Jesu sapientia æterna, miserere.
Jesu bonitas infinita, miserere.
Jesu Salvator mundi, miserere.
Jesu mediator Dei, & hominum, mis.
Jesu bone Pastor ovium, mis.
Jesu benignissime, miserere,
Jesu dilectissime, mis.
Jesu clementissime, miserere.

Jesu desideratissime, miserere nobis.
Jesu mitissime, mis.
Jesu amantissime, miserere nobis.
Jesu amator fidelissime, mis.
Jesu amor noster, mis.
Jesu gaudium Angelorum, mis.
Jesu Rex Patriarcharum, mis.
Jesu inspirator Prophetarum, mis.
Jesu Magister Apostolorum, mis.
Jesu Doctor Evangelistarum, mis.
Jesu fortitudo Martyrum, mis.
Jesu lumen Confessorum, mis.
Jesu Sponse Virginum, miserere.
Jesu Corona Sanctorum omnium, mis.
Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab omni periculo, libera nos Jesu.
Ab ira tua, lib.
Ab insidiis diaboli, libera.
A peste, fame, & bello. lib.
A transgressione mandatorum tuorum, libera nos.
Ab incursu omnium malorum, lib.
Per Incarnationem tuã, libera nos.
Per adventum tuum, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per dolores tuos, lib.
Per flagella tua, lib.
Per mortem tuam, lib.
Per Resurrectionem tuam, lib.
Per Ascensionem tuam, libera.
Per gaudia tua, lib.
Per gloriam tuam, libera.
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam, libera.
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, lib.
Agnus Dei, &c. Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis Jesu.
Jesu Christe, Audi nos.

Jesu

Jesu Christe, Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Benedic anima mea Domino.
℟. Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.

Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: ut, quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias.

Deus, qui gloriosissimum nomen JESU Christi Filii tui, Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum, atque terribile, concede propitius: ut omnes, qui hoc nomen Jesu devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum, &c.

*Quin-*

*Quinque Pſalmi SS. Nominis JESU.*

*Ant.* Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.

Pater, & Ave, &c.

JUdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſanćta: ab homine iniquo, & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus.

Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanćtum tuum. & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultûs mei, & Deus meus.

Pater, & Ave, &c.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sanćto: & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo; & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſanćto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erećti ſumus.

Domine ſalvum fac Regem: & exaudi nos

in

in die, quâ invocaverimus te.

Pater, & Ave, &c.

SAlvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates â filiis hominum.

Vana locuti ſunt unusquisque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.

Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa: & linguam magniloquam.

Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum: nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini, eloquia caſta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Tu, Domine, ſervabis nos: & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicâſti filios hominum.

Pater, & Ave, &c.

VOce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.

Effundo in conſpectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognoviſti ſemitas meas.

In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam. & non erat, qui cognoſceret me.

Periit fuga à me: & non eſt, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, dixi: tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.

Libera me à perſequentibus me: qui con-

confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

Pater, & Ave, &c.

SÆpe expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Israël.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: quod, priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam, qui metit; & sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Pater, & Ave, &c.

℣. Benedic anima mea Domino.

℟. Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

DIgnare benignissime Jesu, per hoc sanctum nomen tuum esse mihi Jesus, & dare mihi spiritum electorum Jesu. Infere, quæso, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut ejus dulcedine pascar, ejúsque amore ità ardeam, ut moriar, & vivam in te Jesu mi dulcissime, invocato semper hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine

tuo JESU, JESU, JESU.

*Alia D. Gregorii P.*

BOne Jesu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere: doce me facere voluntatem tuam: ut à spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æternus, & unus omnium spiritus, ubi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suavitas, & suavis jucunditas: ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Alia S. Bernardi.*

O Bone Jesu! ô piissime Jesu! ô dulcissime Jesu! ô Jesu Fili Mariæ Virginis, plene misericordiâ, & pietate! ô dulcis Jesu! secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei: ô clementissime Jesu! te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas: & in me respicias miserum, & indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum Jesu invocantem. O nomen Jesu, nomen dulce! nomen Jesu, nomen delectabile! nomen Jesu, nomen confortans! quid est enim Jesus, nisì Salvator? Ergo Jesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Jesus, & salva me; ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creâsti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu! recognosce, quod tuum est, & absterge, quod alienum est. O benignissime Jesu! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Et quæ utilitas in sanguine tuo, dum de-

descendero in æternam corruptionem ? Non mortui laudabunt te Domine Jesu, neque omnes, qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu ! O desideratissime Jesu ! O mitissime Jesu ! O Jesu, Jesu, Jesu ! admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Jesu, salus in te credentium ! O Jesu solatium ad te confugientium ? O Jesu dulcis remissio omnium peccatorum ! O Jesu Fili Mariæ Virginis ! infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatem : ut possim te perfectè diligere, ac laudare, te perfrui, tibi servire, & in te gloriari unà cum omnibus, qui invocant hoc sanctum nomen tuum, quod est Jesus. Amen.

*Alia S. Augustini.*

Domine Jesu, noverim te, & noverim me.
Nec aliquid cupiam, nisi te :
Ut odiam me, & amem te ;
Quicquid amo, amem propter te :
Humiliem me, exaltem te :
Nihil cogitem, nisì te :
Mortificem me, & vivam in te :
Quæcunque eveniant, accipiam à te :
Persequar me, sequar te :
Sempérque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te !
Dignus sim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te ;
Símque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te :
Obedire velim propter te :
In nullo afficiar, nisì in te.
Aspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te :
Et in æternum potiar te.

*Oratio.*

Amantissime Domine Jesu Christe, obse-

cro te per amorem illum perfectissimum, quo salutem nostram zelando, ubique tam fideliter, quàm ferventer eam quæris; da mihi rectam, puram, simplicem, ac Deiformem in singulis intentionem, ut in quibuscunque agendis, & vivens, & moriens, non aliud quæram, aut intendam, quàm purè gloriam, & beneplacitum tuum. Hæc da mihi, fidelissime Amator; ut te ex toto corde meo desiderem, diligam, & quæram in tempore, in æternitate, extincto per gratiam tuam penitus omni amore privato. Amen.

*Contra carnis tentationes.*

Tu scis bone Jesu! quàm acri certamine carnis incendia me fatigent, & quo continuo in periculo mea semper fragilitas versetur, agnoscis! ne sinas, Domine Jesu, & tu sanctissima Mater Christi, & Virgo, ut tam immani scelere me obstringam: ut propter vilem, & momentaneam carnis delectationem, vestram velim amicitiam, & beatitudinem æternam perdere. Adjuva me, Christe Jesu, ut probè in omni meo certamine decertem, & per tuæ rorem misericordiæ omnia in me carnis inflammatio extinguatur; ut per tuam gratiam, corpus, animúmque castum; & purum à cogitationibus sordidis servem; impurísque carnis voluptates non solum fugiam, sed & horream: excludam omnem ex corde meo mundi, & carnis amorem; & complectar te mundo corde, castissime Sponse animæ meæ Jesu. O Jesu dulcis amor! da te mihi, accipe me tibi, & sit nomen tuum in sæcula benedictum. Amen.

# CULTUS
# DEI SPIRITUS SANCTI.

## SUPPLICATIO
## AD SPIRITUM SANCTUM.

Misericordissime, piissime, ac benignissime Deus, Consolator, & amator noster: ignosce, & condona nobis peccata nostra. Exaudi nos: illuminet nos, inflammet nos lux tuæ visitationis; ut ab omni peccato puri efficiamur, & alieni. Imple, & confirma nos septem donis tuis, inextinguibilique gratiâ tuâ, Spiritus Sancte Deus: & hoc ipsum operare nunc in cordibus nostris, quod olim in vasis tuis electissimis, Christi Apostolis in die Pentecostes operari dignatus es; ut quidquid tu non es, in nobis pereat, & tui amor castissimus, ac ferventissimus nos omnes inebriet, transformet, atque in se absorbeat. Amen.

OFFI-

# OFFICIUM PARVUM
## DE
# SPIRITU SANCTO.

AD MATUTINUM.

℣. SPiritûs Sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra.

℟. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

NObis sancti Spiritûs gratia sit data,
De qua Virgo Virginum fuit obumbrata:
Cum per sanctum Angelum fuit salutata,
Verbum Caro factum est, Virgo fœcundata.

*Ant.* Veni Sancte Spiritus: reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

*Oratio.*

ADsit nobis quæsumus Domine, virtus Spiritûs sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per eundem Dominum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Spiritûs sancti gratia, &c. *ut supra.*

*Hymnus.*

DE Maria Virgine Christus fuit natus,
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus.
Resurgens discipulis fuit demonstratus,
Et, ipsis cernentibus, in cœlos est elevatus.

*Ant.* Veni sancte Spiritus, &c. *ut supr.*

℣. Emitte Spiritum, &c. *ut supra.*

 Ora-

*Oratio.* Adsit nobis quæsumus, &c. *ut sup.*

AD TERTIAM.

℣. Spiritûs sancti gratia, &c. *ut sup.*

*Hymnus.*

SUum sanctum Spiritum Deus delegavit,
In die Pentecostes Apostolos confortavit,
Et de linguis igneis ipsos inflammavit,
Orphanos relinquere eos denegavit.

*Ant.* Veni Sancte Spiritus, &c. *ut supr.*

℣. Emitte Spiritum, &c. *ut supr.*

*Oratio.* Adsit nobis quæsumus, &c. *ut supr.*

AD SEXTAM.

℣. Spiritûs sancti gratia, &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

SEptiformem gratiam tunc acceptaverunt,
Quare idiomata cuncta cognoverunt:
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem Catholicam tunc prædicaverunt.

*Ant.* Veni sancte Spiritus, &c. *ut supr.*

℣. Emitte Spiritum, &c. *ut supr.*

*Oratio.* Adsit nobis quæsumus, &c. *ut sup.*

AD NONAM.

℣. Spiritûs sancti gratia, &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

SPiritus Paraclytus fuit appellatus,
Donum Dei, charitas, fons vivificatus;
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia; charisma vocatus.

*Ant.* Veni Sancte Spiritus: &c. *ut supr.*

℣ Emitte Spiritum, &c. *ut supr.*

*Oratio.* Adsit nobis quæsumus, &c. *ut sup.*

AD VESPERAS.

℣. Spiritûs sancti gratia, &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

DExtræ Dei digitus, virtus spiritalis,
Nos defendat, eruat ab omnibus malis:
Ut nobis non noceat dæmon infernalis,
Protegat, & nutriat, foveat sub alis.

*Ant.* Veni Sancte Spiritus, &c. *ut supr.*

℣. Emitte Spiritum, &c.

*Oratio.* Adsit nobis quæsumus, &c. *ut sup.*

AD COMPLETOR.

℣. Spiritûs ſancti gratia, &c. *ut ſupr.*

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut ſupr.*

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

SPiritus Paraclytus
nos velit juvare.
Greſſus noſtros regere, & illuminare:
Ut, cum Deus venerit
omnes judicare,
Nos velit ad dexteram omnes collocare.

*Ant.* Veni Sancte Spiritus, &c. *ut ſupr.*

℣. Emitte Spiritum, &c. *ut ſupr.*

*Oratio.* Adſit nobis quæſumus, &c. *ut ſup.*

COMMENDATIO.

HAs horas canonicas
cum devotione,
Tibi, Sancte Spiritus,
pia ratione
Dixi, ut nos viſites
inſpiratione,
Et vivamus jugiter in
cœli regione. Amen.

*Hymnus ad invocandam Spiritûs Sancti gratiam*

VEni ſancte Spiritus,
& emitte cœlitus
lucis tuæ radium.
Veni Pater pauperum,
veni dator munerum,
veni lumen cordium.
Conſolator optime,
dulcis hoſpes animæ,
dulce refrigerium.
In labore requies,
In æſtu temperies,
In fletu ſolatium.
O lux beatiſſima!
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sinè tuo Numine,
Nihil eſt in homine,
Nihil eſt innoxium.
Lava, quod eſt ſordidũ;
Riga, quod eſt aridũ;
Sana, quod eſt ſaucium.
Flecte, quod eſt rigidũ;
Fove, quod eſt frigidũ;
Rege, quod eſt devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum ſeptenarium.
Da virtutis meritum,
Da ſalutis exitum,
Da perenne gaudiũ. A.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.* Deus, qui corda fidelium, &c. *ut infrà* fol. 55.

## LITANIÆ
### *De Spiritu Sancto.*

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison,
Spiritus Sancte, Audi nos.
Spiritus Paraclyte, Exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, mis.
Spiritus veritatis, mis.
Spiritus sapientiæ, miserere nobis.
Spiritus intellectûs, miserere nobis.
Spiritus fortitudinis, miserere nobis.
Spiritus pietatis, mis.
Spiritus recti consilii, miserere nobis.
Spiritus scientiæ, mis.
Spiritus sancti timoris, mis.
Spiritus charitatis, miserere nobis.
Spiritus gaudii, miserere nobis.
Spiritus pacis, mis.
Spiritus patientiæ, miserere nobis.
Spiritus benignitatis, miserere nobis.
Spiritus bonitatis, miserere nobis.
Spiritus longanimitatis, mis.
Spiritus mansuetudinis, mis.
Spiritus fidei, & spei, miserere nobis.
Spiritus modestiæ, miserere nobis.
Spiritus conscientiæ, miserere nobis.
Spiritus castitatis, miserere nobis.
Spiritus humilitatis, miserere nobis.
Spiritus prudentiæ, miserere nobis.
Spiritus vitæ, & salutis, mis.
Spiritus virtutum, miserere nobis.
Spiritus multiformis gratiæ, mis.
Spiritus adoptionis filiorum Dei, mis.
Purificator animarum nostrarum, mis.
Ecclesiæ Catholicæ Sanctificator, & Rector,

ctor, ſcrutans corda, & renes Deus, miſ.
Cœleſtium donorum diſtributor, miſ.
Director cogitationum, & intentionum cordis, miſ.
Securum in omni adverſitate præſidium, miſerere nobis.
Dulcedo in tuo ſervitio incipientium, miſerere nobis.
Virtus in te proficientium, miſ.
Corona perfectorum, miſerere nobis.
Gaudium Angelorum, miſerere nobis.
Illuminatio Patriarcharum, miſ.
Os, & ſapientia Apoſtolorum, miſ.
Victoria Martyrum, miſ.
Scientia Confeſſorum, miſerere nobis.
Puritas Virginum, miſ.
Unctio Sanctorum omnium, miſ.
Propitius eſto, Parce nobis S. Spiritus.
Propitius eſto, Exaudi nos S. Spiritus.
Ab omni malo, Libera nos S. Spiritus.
Ab omni peccato, lib.
Ab omnibus tentationibus, & inſidiis diaboli, lib.
Ab omni præſumptione, & deſperatione, libera.
Ab impugnatione veritatis agnitæ. lib.
Ab invidentia fraternæ gratiæ, lib.
Ab omni obſtinatione, & impœnitentia, libera.
Ab omni negligentia, & torpore animi, libera.
Ab omni immunditia mentis, & corporis, libera.
Ab hæreſibus, & erroribus univerſis, lib.
Ab omni malo ſpiritu, libera.
A mala, & æterna morte, lib.
Per æternam ex Patre, Filióque proceſſionem tuam, lib.
Per miraculoſam conceptionem Filii Dei, libera.
Per deſcenſionem tuam ſuper Chriſtum Baptizatum, lib.
Per ſanctam apparitionem tuam in transfiguratione Domini, libera.

Per adventum tuum super discipulos Christi, lib.
In die Judicii, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut omnia Ecclesiæ membra vivificare, & sanctificare digneris, Te rogamus.
Ut gratiâ tuâ sanctâ; & efficaci nos ubique prævenire, comitari, & subsequi digneris, Te rogamus.
Ut veræ pietatis, devotionis, & orationis donum nobis dare digneris, Te rog.
Ut omnes cogitationes, verba, & opera nostra ad te dirigere, & sanctificare digneris, Te rog.
Ut veræ humilitatis, omniúmque virtutum præsidia nobis dare digneris, Te rog.
Ut Sanctæ paupertatis studium in nobis augere digneris, Te rog.
Ut donum mansuetæ patientiæ in nobis plantare digneris, Te rogamus.
Ut gratiam lacrymarum nobis dare digneris, Te rogamus.
Ut ad veram justitiam nos continuò aspirare concedas, Te rog.
Ut sinceros misericordiæ, charitatísque affectus inspirare digneris, Te rog.
Ut spiritum novum, & cor mundum in nobis creare digneris, Te rogamus.
Ut ad tolerandas propter justitiam persecutiones nos dignos, & fortes efficias, Te rogamus.
Ut nos in gratia tua confirmare digneris, Te rogamus.
Ut nos in numerum electorum tuorum recipias, Te rog.
Ut nos exaudire digneris, Te rog.
Spiritus Sancte Deus, Te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Effunde in nos Spiritum Sanctum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Emitte promissum in nos Patris Spiritum.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; Da nobis Spiritum bonum.
Spiritus Sancte, Audi nos.
Spiritus Paraclyte, Exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me à facie tua.
℟. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Spiritûs sancti gratia.
℟. Illuminet sensus, & corda nostra.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium S. Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur: exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes; ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per eundem Dominum nostrum, qui tecum Spiritus unus est Deus, in sæcula sæculorum. Amen.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Et Fidelium animæ, &c.

282

# CULTUS VENERABILIS SACRAMENTI.

## OFFICIUM PARVUM De SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

### AD MATUTINUM.

PAnem cœli dedit nobis Dominus: Panem Angelorum manducat homo.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

LAuda Sion Salvatorem, lauda Ducem, & Pastorem, in hymnis, & canticis.

Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude: nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis; panis vivus, & vitalis, hodie proponitur.

Quem in sacra mensa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ, datum non ambigitur.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis Domine.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

*Ant.* Dominus Jesus: in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, benedixit, fregit, & dixit: Accipite, & manducate; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meã commemorationem.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ità nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Panem cœli dedit nobis, &c. *ùt sup. in Mat.*

℣. Deus in adjutorium &c. *ùt suprà in Matut.*

*Hymnus.*

SIt laus plena, sit sonora: sit jucunda, sit decora, mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur, in qua mensæ prima recolitur hujus institutio.

In hac mensa novi Regis, novum Pascha novæ legis, Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas; umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

℣. Panem de cœlo præstitisti, &c. *ùt suprà.*

*Antiphona.* O quàm suavis est Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

℣. Domine exaudi, &c. *ùt suprà,*

*Orat.* Deus, qui nobis, &c. *ùt supr.*

AD TERTIAM.

Panem cœli dedit nobis, &c. *ùt supr.*

℣. Deus in adjutorium, *ùt sup.*

*Hymnus.*

QUod in cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.

Docti sacris institutis, Panem, Vinum, in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

℣. Panem de cœlo, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Deus, qui nobis, &c. *ut sup.*

AD SEXTAM.

Panem cœli dedit nobis, &c. *ut supr.*

℣. Deus in adjutorium &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

Sub diversis speciebus, signis tantùm, & non rebus, latent res eximiæ.

Caro cibus, Sanguis potus, manet tamen Christus totus, sub utraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non divisus integer accipitur.

℣. Panem de cœlo, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

℣. Domine exaudi, &c. *ut supr.*

*Orat.* Deus, qui nobis, &c. *ut sup.*

AD NONAM.

Panem cœli dedit nobis, &c. *ut supr.*

℣. Deus in adjutorium &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille; nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitûs.

Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus.

℣. Panem de cœlo, &c. *ut suprà.*

*Ant.* Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.

℣. Domine exaudi, &c. *ut supr.*

*Orat.*

*Orat.* Deus, qui nobis, &c. *ùt ſupr.*

AD VESPERAS.

Panem cœli dedit, &c. *ùt ſupr.*

℣. Deus in adjutorium *ùt ſupr.*

*Hymnus.*

FRacto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantùm eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit ſciſſura: ſigni tantùm fit fractura: quâ nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.

Ecce Panis Angelorum, factus cibus viatorum: verè panis filiorum, non mittendus canibus.

℣. Panem de cœlo, &c. *ùt ſupr.*

*Ant.* O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Domine exaudi, &c. *ùt ſupr.*

*Orat.* Deus, qui nobis, &c. *ùt ſupr.*

AD COMPLETOR.

Panem cœli dedit nobis, &c. *ùt ſup.*

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ùt ſuprà.*

*Hymnus.*

IN figuris præſignatur, cùm Iſaac immolatur: Agnus Paſchæ deputatur: datur manna Patribus.

Bone Paſtor, panis vere, Jeſu noſtri miſerere: tu nos paſce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.

Tu, qui cuncta ſcis, & vales, qui nos paſcis hìc mortales, tuos ibi commenſales, cohæredes, & ſodales fac ſanctorũ civium. Am.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis Domine.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

*Ant.* Nisì manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat

meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ità nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus: Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Am.

*Commendatio.*

HAs horas sic recolo pia ratione:
Tibi, Corpus Domini, ut confessione
Contritus, & præviâ satisfactione
Valeam te sumere cum devotione. Amen.
O salutaris hostia, quæ cœli pandis ostium,
Bella premunt hostilia, da robur fer auxilium.
Uni, trinóque Domino sit sempiterna gloria,
Qui vitam sinè termino nobis donet in Patria. Amen.

RYTHMUS S. THOMÆ AQUINATIS.

*Ad S. Eucharistiam.*

ADoro te devotè, latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas,
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, Tactus, Gustus, in te fallitur,
Sed auditu solo tutò creditur;
Credo; quidquid dixit DEI Filius,
Nîl hoc verbo veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hìc latet simul & humanitas,
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto, quod petivit latro pœnitens.

Plagas, ficut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie Pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
O Jesu! quem velatum sic aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

*Hymnus.*

PAnge lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinísque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatûs
Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus
Observata lege plenè
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbô carnem efficit,
Fítque sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:

Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.
Genitori, genitóque,
Laus, & jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit & benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar ſit laudatio.

## LITANIÆ

*De Venerabili Sacramento.*

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſ.
Panis vivus, de cœlo deſcendens, miſ.
Deus abſconditus, & Salvator, miſ.
Frumentum Electorũ, miſerere,
Vinum germinans Virgines, miſ.
Panis pinguis, & deliciæ Regum, miſ.
Juge ſacrificium, miſ.
Oblatio munda, miſ.
Agnus absque macula, miſerere.
Menſa puriſſima, miſ.
Angelorum eſca, miſ.
Manna abſconditum, miſerere.
Memoria mirabilium Dei, miſ.
Panis superſubſtantialis, miſ.
Verbum, Caro factum, miſerere.
Habitans in nobis, miſerere.
Hoſtia ſancta, miſ.
Calix benedictionis, miſerere.
Myſterium Fidei, miſ.
Præcelſum, & venerabile Sacramentũ, miſ.
Sacrificium omnium ſanctiſſimum, miſ.
Verè propitiatorium pro vivis, & defunctis, miſ.
Cœleſte antidotum, quo à peccatis præſervamur, miſ.
Stupendum ſuper omnia miraculum, miſ.
Sacratiſſima Dominicæ Paſſionis commemoratio, miſ.
Donum tranſcendens omnem plenitudinẽ, miſerere.

Memoriale præcipuum divini amoris, miſ.
Divinæ affluentia largitatis, miſ.
Sacroſanctum, & auguſtiſſimum myſterium, miſerere.
Pharmacum immortalitatis, miſ.
Tremendum, ac vivificum Sacramentum, miſerere.
Panis omnipotentiâ Verbi Caro factus, miſ.
Incruentum Sacrificiũ, miſerere.
Cibus, & conviva, miſ.
Dulciſſimum conviviũ, cui aſſiſtunt Angeli miniſtrantes, miſ.
Sacramentum pietatis, miſerere.
Vinculum charitatis, miſerere.
Offerens, & oblatio, miſerere.
Spiritualis dulcedo, in proprio fonte deguſtata, miſ.
Refectio animarum ſanctarum, miſ.
Viaticum in Domino morientium, miſ.
Pignus futuræ gloriæ, miſerere.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab indigna Corporis, & Sanguinis tui ſuſceptione, lib.
A concupiſcentia carnis, lib.
A ſuperbia vitæ, libera nos.
Ab omni peccandi occaſione, lib.
Per deſiderium illud, quo hoc Paſchą cum Diſcipulis manducare deſideraſti, lib.
Per ſummam humilitatem, quâ Diſcipulorum pedes laviſti, libera.
Per ardentiſſimam charitatem, quâ hoc divinum Sacramentum inſtituiſti, lib.
Per Sanguinem tuum pretioſum, quem nobis in altari reliquiſti, lib.
Per quinque vulnera hujus tui Corporis ſacratiſſimi, quæ pro nobis ſuſcepiſti, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis fidem, reverentiam, & devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere,

re, & conservare digneris, Te rog.

Ut ad frequentem usũ Eucharistiæ per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris, Te rog.

Ut nos ab omni hæresi, perfidia, ac cordis cæcitate liberare digneris, Te rog.

Ut in hora mortis nostræ hoc cœlesti viatico nos confortare, & munire digneris, Te rog.

Ut ad cœnam vitæ æternæ nos perducere digneris, Te rog.

Fili Dei, Te rog.

Agnus Dei, &c. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, &c. Miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus se.

℣. Panem de cœlo præstitisti nobis, Domine.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus.

℟. In quem cor, & caro nostra exultat.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ità nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari: ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.


Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificâsti: libera nos per tremendum Corporis, & Sanguinis tui Sacramentum ab omnibus iniquitatibus nostris, & universis malis, & fac

nos

nos tuis ſemper inhærere mandatis, nec à te unquam ſeparari permittas.

Deus, qui nos ad imaginem tuam Sacramentis renovas, & præceptis: perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis, & charitatis tuæ donum, quod feciſti à nobis ſperari, per tuā clementiam efficaciter facias apprehendi.

Deus, qui diligentibus te, bona inviſibilia præparâſti; infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.




CHRISTUS CRUCIFIXUS.

# Cultus SS. Crucis et memoria Pass. Domini nostri J. Ch.

Non te pertranseat particula bonae fidei absque memoria passi pro te Domini.

Precatio S. Bernardi.

O Jesu Jesu mi! ad Passionis tuae gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es totum me inclino. Tuae victoriosae Crucis regale vexillum in nomine tuo Christe, adoro:

Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguineos clavos, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam, Christe, supplex adoro et glorifico. Confige Cruci tuae manus meas, et pedes meos, ut totum passioni tuae conformem [illegible] tibi Domine.

Cultus SS. Crucis

Ad Matutinum.

V. Per signum Crucis de inimicis nostris,
R. Libera nos Deus noster.
V. Domine labia mea etc.
R. Et os meum etc.
V. Deus in adjutor: etc.
R. Domine ad adj: etc.
Gloria Patri etc: non dicitur Alleluja neque Laus tibi Domine.

Hymnus.

Patris Sapientia, Veritas divina,
Deus homo captus est hora matutina,
A notis discipulis cito derelictus,
A Judaeis traditus, venditus afflictus.

Ant. O crux venerabilis quae salutem attulisti miseris, quomodo te afferam praeconiis: ~~quoniam vitam nobis~~ ~~coelestem~~ praeparasti.

V. Adoramus te Christe et benedicimus tibi.
R. Quia per s. crucem tuam redemisti mundum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi. pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam nunc et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam: Ecclesiae tuae pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis etc: Amen.

Ad Primam.

V. Per signum etc: supra ad Matutinum.
V. Deus in adj: etc.
R. Domine ad adj:

Hy.

Christe adoro et glorifico.
Confige Crucis tuæ ma-
nus meas, et pedes
meos, ac totum passio-
ni Tuæ, conforma ser-
vum servum Tuum
Domine. -

Hymnus

Patris sapientia veritas
divina
Deus homo captus est
hora matutina
A notis discipulis cito
derelictus
A Judæis traditus, ven-
ditus afflictus.

Ant. Crux venerabilis
quæ salutem attulisti
miseris, quibus te affe-
ram præconiis, quoniam

vitam Nobis coelestem
praeparasti. -
℟. Adoramus Te Christe
℟. Quia per sanctam

## Oratio

Domine Jesu Christe fi-
li Dei vivi, pone Passio-
nem, Crucem et mortem
Tuam, inter judicium
Tuum et animam
meam, nunc et in ho-
ra mortis meae: et
mihi largiri digneris,
gratiam et misericor-
cordiam, et nobis pe-
ccatoribus, vitam et glo-
riam sempiternam.
Qui vivis et regnas
cum Deo Patre in uni-
tate Spiritus Sancti Deus
etc.

## Ad Matutinam
### Praeparatio.

Non te pertranseat, ista
O Jesu, Jesu mi ad Pas-
sionis Tuae imagines, in
quibus salutem meam
operatus es, totum me in-
clino, Tuae victoriosae
Crucis regale vexillum
in Nomine Tuo Chri-
ste adoro, Tuum spineum
diadema, Tuos rubentes
sanguineos clavos, Tuo
sacro lateri immersam
lanceam, Tua vulne-
ra, Tuum sanguinem,
Tuam mortem, Tuam
sepulturam, supplex

*Hymnus.*

HOrâ primâ Dominum ducunt ad Pilatum,
Et à falsis testibus multùm accusatum,
Colaphis percutiunt, manibus ligatum.
Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.

*Ant.* O Crucis victoria, & admirabile signum! in cœlesti curia fac nos cantare triumphum.

℣. Adoramus te, Christe, &c. *ùt sup.*

*Oratio.* Domine Jesu Christe, &c. *ùt suprà.*

AD TERTIAM.

℣. Per signum Crucis, &c. *ùt suprà.*

℣. Deus, in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

CRucifige, clamitant horâ tertiarum:
Illusus induitur veste purpurarum:
Caput ejus pungitur corona spinarum:
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

*Ant.* Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce, nostra destruxit vincula criminum.

℣. Adoramus te, Christe, &c. *ùt suprà.*

*Orat.* Domine Jesu Christe, &c. *ùt supr.*

AD SEXTAM.

℣. Per signum Crucis, &c. *ùt suprà.*

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

HOrâ sextâ Jesus est Cruci conclavatus,
Et cum Latronibus pendens est deputatus;
Præ tormentis sitiens, felle saturatus;
Agnus, crimen diluens, sic ludificatus.

*Ant.* Per lignum servi facti sumus; & per sanctam Crucem liberati sumus, fructus arboris seduxit nos; Filius Dei redemit nos.

℣. Adoramus te, Christe, &c. *ùt suprà*

*Orat.* Domine Jesu Christe, &c. *ùt supr.*

AD NONAM.

℣. Per signum Crucis, &c. *ùt supr.*

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hy-*

*Hymnus.*

Horâ nonâ Dominus Jesus exspiravit, Eli clamans, Spiritum Patri commendavit.
Latus ejus lanceâ miles perforavit!
Terra tunc contremuit, & sol obscuravit.

*Ant.* O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

℣. Adoramus te, Christe, &c. *ut suprà.*

*Orat.* Domine Jesu Christe, &c. *ut supr.*

AD VESPERAS.

℣. Per signum Crucis, &c. *ut suprà.*

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

De Cruce deponitur horâ vespertinâ;
Fortitudo latuit in mente divina;
Talem mortem subiit vitæ medicina;
Heu! Corona gloriæ jacuit supina.

*Ant.* O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera! super omnia cedra lignorum tu sola excelsior; in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.

℣. Adoramus te, Christe, &c. *ut suprà.*

*Oratio.* Domine Jesu Christe, &c. *ut suprà.*

AD COMPLETOR.

℣. Per signum Crucis, &c. *ut suprà.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut suprà.*

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

Horâ Completorii datur sepulturæ
Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ:
Conditur aromate: Complentur scripturæ.
Jugis sit memoria mortis suæ duræ.

*Ant.* Salvator mundi, salva nos, qui per Crucem, & Sanguinem tuum redemisti nos; auxi-

auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

℣. Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

*Oratio.* Domine Jesu Christe, &c. *ut suprà.*

COMMENDATIO.

HAs horas Canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo piâ ratione;
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

Oremus.

OMnipotens, & misericors Deus, qui nobis in foraminibus petræ, sacratissimis Domini nostri Jesu Christi vulneribus, in omni tribulatione, & angustia singulare præsidium benignissimè præparâsti, da mihi per eorundem merita remissionem peccatorum, & servandi mandata tua, téque ex toto corde diligendi gratiam benigniter elargire; ut, cùm ex hac ærumnosa miseriarum valle fuerit emigrandum, sanguinis, quem fuderunt, virtute, & efficacia, in divinissimo Dominici cordis vulnere, velut insuperabili propugnaculô, ab omni diabolica infestatione securus delitescam, & coram supremi vivorum, & mortuorum Judicis tribunali, cum fiducia comparens; & hæc ejus omni radio solari splendidiora vulnera in novissimo die summo cum gaudio intuens, dulcissimam Electorum sententiam (Venite benedicti Patris mei) feliciter adipiscar. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

OBLATIO

*Ad Patientem DEI Filium.*

BEnignissime JESU, quem pro nobis, & propter nos, charitas ardentissima erga nos, Cruci affixit: suscipe nunc omnium vul-

vulnerum tuorum dolores, sanguineásque guttas; suscipe pientissimæ Matris tuæ compassionem, & dolorem pro peccatis universi mundi: Suscipe etiam, quæso, me indignissimum peccatorem, quē tibi offero in unione doloris Matris, & in unione charitatis tuæ, & converte me in laudem, & gloriam tuam, juxta summum, atque supremnm beneplacitum tuum. Amen.

LITANIÆ

*De Vita, & Passione Domini.*

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere.

Jesu sapientia æterna, miserere nobis.

Jesu de Virgine Maria nate, mis.

Jesu à tua Genitrice adorate, mis.

Jesu pannis involute, misere ere.

Jesu in præsepio reclinate, mis.

Jesu ubere Virgineo lactate, mis.

Jesu à pastoribus in præsepio cognite, miserere.

Jesu per circumcisionem sub lege facte, miserere.

Jesu à Magis adorate, miserere.

Jesu in Templo præsentate, mis.

Jesu in Ægyptum delate, mis.

Jesu ab Herode ad necem quæsite, miserere.

Jesu in Nazareth nutrite, mis.

Jesu in templo invente, mis.

Jesu Parentibus subdite, mis.

Jesu à Joanne baptizate, mis.

Jesu in deserto tentate, mis.

Jesu cum hominibus conversate, mis.

Jesu gratis odio habite, mis.

Jesu

Jesu contumeliis vexate, mis.
Jesu in monte coram Patribus transfigurate, mis.
Jesu Rex mitis Hierusalem ingresse, mis.
Jesu, triginta argenteis vendite, mis.
Jesu ad Discipulorum pedes inclinate, mis.
Jesu in oratione prostrate, mis
Jesu in agonia sanguineo sudore consperse, mis.
Jesu osculo à Juda tradite, mis.
Jesu à Ministris ligate, mis.
Jesu à Discipulis derelicte, mis.
Jesu Annæ, & Caiphæ præsentate, mis.
Jesu alapâ à ministro percusse, mis.
Jesu à falsis testibus accusate, mis.
Jesu reus mortis judicate, mis.
Jesu in faciem conspute, mis.
Jesu oculis velate, mis.
Jesu à Petro ter negate, mis.
Jesu vinctus Pilato tradite, mis.
Jesu ab Herode sprete, & illuse, mis.
Jesu veste alba indute, miserere,
Jesu Barabbæ postposite, mis.
Jesu flagellis cæse, mis.
Jesu propter scelera nostra attrite, mis.
Jesu quasi leprosus reputate, mis.
Jesu veste purpurea indute, mis.
Jesu spinis coronate, miserere.
Jesu arundine percusse, miserere.
Jesu à Judæis ad Crucem postulate, mis.
Jesu morte turpissima condemnate, mis.
Jesu voluntati Judæorum tradite, mis.
Jesu Crucis pondere gravate, mis.
Jesu tanquam ovis, ad occisionem ducte, miserere.
Jesu vestibus exute, miserere
Jesu clavis in Cruce confixe, mis.
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate, mis.
Jesu, qui pro inimicis Patrem rogâsti, mis.

Jesu cum iniquis reputate, mis.
Jesu in Cruce blasphemate, & illuse, mis.
Jesu à latrone conviciis lacessite, mis.
Jesu, qui latroni pœnitenti Paradisum promisisti, mis.
Jesu, qui Joannem Matri tuæ in Filium commendâsti, mis.
Jesu te à Patre derelictum attestate, mis.
Jesu felle, & aceto in siti potate, mis.
Jesu, qui omnia de te scripta consummâsti, miserere.
Jesu usque ad mortem Crucis obediens facte, mis.
Jesu lanceâ transfixe, miserere.
Jesu Propitiatio nobis facte, mis.
Jesu de Cruce deposite, mis.
Jesu gloriosè à mortuis resurgens, mis.
Jesu in cœlum elevate, miserere.
Jesu noster apud Patrem Advocate, mis.
Jesu, qui Spiritum Paraclytum Discipulis misisti, mis.
Jesu Matrem super choros Angelorum exaltans, mis.
Jesu vivos, & mortuos judicature, mis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni periculo, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
A peste, fame, & bello, lib.
A cunctis mentis, & corporis periculis, libera.
A morte perpetua, lib.
Per mundissimam conceptionem tuam, lib.
Per miraculosam Nativitatem tuam, lib.
Per humilem Circumcisionem tuam, lib.
Per Baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera.
Per labores, & vigilias tuas, lib.
Per dolorosam flagellationem, & coronationem tuam, libera nos.

Per

Per sitim, lachrymas, & nuditatem tuam, libera nos.
Per pretiosam mortem, & Crucem tuam, lib.
Per gloriosam resurrectionem, & ascensionem tuam, lib.
In die Judicii, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rog.
Ut gratiam S. Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris, Te rog.
Ut societates, in tuo sancto nomine congregatas, conservare, & amplificare digneris, Te rog.
Ut nobis veram pacem, humilitatem, & charitatem largiri digneris, Te rog.
Ut in gratia, & sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris, Te rog.
Ut nos ab immundis cogitationibus, ac dæmonum tentationibus, & damnatione perpetua liberare digneris, Te rog.
Ut nos Collegio Sanctorum tuorum sociare digneris, Te rogamus.
Ut nos exaudire digneris, Te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.
℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

DEus, qui pro redemptione mundi nasci voluisti, circumcidi, & à Judæis reprobari, à Juda osculô tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri; à falsis testibus accusari, flagellis, & colaphis cædi, opprobriis vexari, conspui, spinis coronari, arundine percuti, facie velari, vestibus spoliari, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones reputari, felle, & acetô potari, & lanceâ vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas pœnas, quas ego indignus recolo, & per sanctissimam Crucem, & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum.

Domine Jesu Christe, qui horâ sextâ pro redemptione mundi Crucis patibulum ascendisti, & sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrũ, Paradisi januas nos gaudenter introire, concedas.

Quæsumus clementiam tuam, ut nos famulos tuos, gratiâ tuâ confirmare digneris: ut in hora mortis nostræ non prævaleat contra nos adversarius noster; sed cum Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam æternam. Qui vivis, & regnas, &c.

HYMNUS

*De Sancta Cruce.*

VExilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium:
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ,
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,

Ma-

Manavit undâ, & sanguine.
Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus,
Regnavit à ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpurâ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis,
Tulítque prædam Tartari.
O Crux ave spes unica!
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.
Te fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium. Amen.

℣. Eripe me, Domine ab homine malo.
℟. A viro iniquo eripe me.

Oremus.

DEus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti, ut inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis; ut resurrectionis gloriam consequamur. Per Dominum nostrum, &c.

Divinum auxilium maneat, &c.

*Sequentem Orationem coram imagine S. Sindonis D. N. Jesu Christi devotè recitantibus concessit Clem. VIII. Indulgentiam plenariam, & liberationem animæ ex Purgatorio. Paulus verò V. confirmavit.*

DEus, qui nobis in S. Sindone, quâ corpus tuum sacrosanctum de Cruce depositum, & à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius; ut per mortem, & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam per-

ducamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio de septem Verbis, quæ Christus in Cruce dixit.*

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti: Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt: fac, ut ego amore tui parcam mihi cunctis maledicentibus. Et qui dixisti: Hodie mecum eris in Paradiso; fac me ità vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi: Hodie mecum eris in Paradiso. Et qui dixisti Matri tuæ: Mulier, ecce Filius tuus; deinde Discipulo: Ecce Mater tua; fac, ut Matri tuæ me societ amor tuus, & charitas tua. Et qui dixisti: Eli, Eli Lamma Sabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? fac, me dicere in omni tribulatione, & angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mihi peccatori, & adjuva me, Rex meus, & Deus meus, qui tuo proprio Sanguine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio; fac, ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti: Pater, in manus tuas comendo spiritum meum: Suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti: Consumatum est; fac, ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam; scilicet: Veni amica mea, dilecta mea, sponsa mea, veni, ut mecum conscendas cum Angelis, & Sanctis meis in Regno meo epulari, jucundari, & commorari per infinita sæculórum sæcula. Amen.

*Salutationes ad omnia membra Christi.*

SAlve, tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, & arun-

arundine percussum. Salve speciosissima Salvatoris nostri JESU Christi facies, pro nobis sputis, & alapis cæsa. Salvete benignissimi Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri oculi, pro nobis lachrymis perfusi. Salve mellifluum os, guttúrque suavissimum D. nostri Jesu Christi, pro nobis felle, & aceto potatum. Salvete aures nobilissimæ Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis, & opprobriis affectæ. Salve collum humillimi Jesu Christi, pro nobis funibus ligatum: dorsúmque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete Domini nostri Jesu Christi manus, & brachia, pro nobis in Cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salvete Domini Jesu Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Dom̃i Jesu Christi, Salvatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum Corpus Domini nostri Jesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve Sanguis pretiosissime, de Corpore Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve SS. Domini nostri Jesu Christi anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem com̃endatione tibi commendo hodie, & quotidie animam meam, vitam meam, cor, & corpus meum, omnes sensus, & actus meos, omnes amicos, & benefactores, & consanguineos meos; animas parentum, fratrum, sororum, & omnium amicorum, ac inimicorum meorum, ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus

insidiis inimicorum nostrorum, visibilium, & invisibilium, nunc, & in perpetuum. Am.

## PIA EXERCITIA.

### Erga Christum Crucifixum, & quinque ejus Vulnera.

*Oratio Præparatoria.*

EN amantissime Jesu, qui sponsus sanguinum mihi esse voluisti, ad pedes tuos prosternor, ut meum in te amorem, debitámque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi Jesu, qui usque in finem dilexisti me, manibúsque, ac pedibus, imò & cordi tuo inscripsisti me, magno sanè, & conspicuo charactere? Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ità & ego te cordi meo inscriptum circumferam: & sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? O Jesu! quàm profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantùm manus, ac pedes verùm & opulentissimum pectus mihi aperiri voluisti, ut inexhausta bonorum cœlestium affluentiâ desiderium meum expleas! Suscipe hæc mea, quæ colendis sacris tuis quinque vulneribus, vota persolvo: aditum, spero, ad optatissimos hos vitæ fontes misero non intercludes.

### ORATIO I.

Ad S. Vulnus Pedis sinistri.

SAlve, ô benedictum Vulnus sinistri Pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sanctissimi Vulneris meritô evellas pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, & à lapsu animam meam præserves. Non veniat mihi pes superbiæ, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito, & spiritu humilitatis à te suscipiar.

Ad sacrum hoc Vulnus tuum depono, & offe-

offero omnem afflictionem meam: ut hanc cum Cruce, & Passione tua conjungas, gratiámque largiaris, qua omnes adversitates, & miserias amore tui superem, tuæque me semper voluntati conformem. Amen.

Pater noster, &c.

### ORATIO II.
### Ad S. Vulnus Pedis dextri.

SAlve, ô benedictum Vulnus dextri Pedis tui, mi Jesu: quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris meritô dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te Deum, ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc S. Vulnus tuum depono, & offero omnem fortunam, ac felices successus meos, quos mihi Divinæ providentiæ tuæ dispositio clementer indulsit; ne illorum insolentiâ elatus animus, te summum bonum meum ad iram unquam provocet. Amen.

Pater noster, &c.

### ORATIO III.
### Ad S. Vulnus Manûs sinistræ.

SAlve, ô benedictum Vulnus sinistræ Manûs tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris meritô miserearis fragilitatis, & inconstantiæ meæ; & in [illegible] bono proposito [illegible] confirmes; illum, tantúmque insuper mihi amorem præstes, ut dicere queam: Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ad S. hoc Vulnus tuum depono omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut sciens, volens, unquam commisi: Tu, mi Jesu, pretiosissimo tuo Sanguine illa abluere digneris, ne coram justissi-

mo tribunali tuo æternæ damnationis sententiam contra me exposcant. Amen,

Pater noster, &c.

## ORATIO IV.

Ad S. Vulnus Manûs dexteræ.

SAlve, ô benedictum Vulnus dexteræ Manûs tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi Vulneris meritô uberem mihi gratiam, & opem contra hostium meorum visibilium, & invisibilium conatus largiaris, & in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam: Venite Benedicti.

Ad S. hoc Vulnus tuum depono, & offero tibi omnia bona opera mea (imò tua; quia tuæ gloriæ omnia, ut debeo, adscribo) cum humillima obsecratione, ut ea, tuis sanctissimis operibus unita, æterno Patri offerre, meámque inopiam tuis infinitis meritis supplére digneris. Amen.

Pater noster, &c.

## ORATIO V.

Ad S. Vulnus Lateris Christi.

SAlve, ô benedictum Vulnus Lateris tui, mi Jesu: salve, ô fons amoris, ô thesaurus inæstimabilis, ô requies animæ meæ: Ausímne, benignissime Jesu! ad sacram hanc aram, hoc Sanctum Sanctorum, accedere, ardénsque amore cor tuum deosculari? per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Jesu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eja, anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi Sponsi tui; hìc te omnibus molestiis tuis, ac curis, quibus opprimeris, exonera: hìc desideria tua, & cupiditates exple: hìc optatissima pace conquiesce. Videor mihi, ô Jesu! amo-

mirabile est nomen tuum in universa terra.

Quoniam elevata est magnificentia tua: super cœlos.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem tuam propter inimicos tuos: ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & stellas, quæ tu fundâsti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ, & honore coronâsti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves, & boves ùniversas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

*Ant.* Sicut myrrha.

*Psalm.* 18.

COeli enarrant gloriam Dei: & opera manuum ejus annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: & ipse, tanquam sponsus, procedens de thalamo suo.

Exultavit, ut gigas, ad currendam viam: à summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est, qui se abscondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata,

lata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multùm: & dulciora super mel, & favum.

Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus: & Redemptor meus.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Sicut myrrha, electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix.

*Ant.* Ante torum.

*Psalm.* 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: & super flumina præparavit eum.

Quis ascēdet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam â Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum: quærentiū faciem Dei Jacob.

Attol-

Attollite portas, Principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas Principes, vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: &c.

*Ant.* Ante torum hujus Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

*Absol.* Precibus, &c. *ut infrà* fol. 94.

*Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria III. & VI. ad Nocturn.*

*Ant.* Specie tua,

*Psalm.* 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ: velociter scribentis.

Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum. potentissime.

Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prosperè procede, & regna.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ

titiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectave- runt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui: in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna.

*Ant.* Adjuvabit eam.

*Pſalm.* 45.

DEus noſter, refugium, & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus

Deus in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: Susceptor noster Deus Jacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Vacate, & videte; quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: Susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus non commovebitur.

*Ant.* Sicut lætantium.

*Psalm.* 86.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te: civitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylonis: scientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet? Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit in scripturis populorum, & Principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium, omnium: habitatio est in te.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Sicut lætantium, omnium nostrûm habitatio est in te.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternũ.

*Absol.* Precibus, &c. *ut infrà* fol. 94.

*Tres Psalmi sequentes dicuntur Feria IV. & Sabbatho ad Nocturn.*

*Ant.* Gaude, Maria Virgo.

*Psalm.*

*Psalm.* 95.

CAntate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annunciate de die in diem salutare ejus.

Añunciate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in Gentibus; quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

*Ant.* Dignare me.

*Psalm.* 96.

DOminus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis

Ignis ante ipſum præcedet: & inflam̃abit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota eſt terra.

Montes, ſicut cera, fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.

Annunciaverunt cœli juſtitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundãtur omnes, qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ: propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Domine, Altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum: de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt juſto: & rectis corde lætitia.

Lætamini juſti in Domino: & confitemini memoriæ ſanctificationis ejus.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Dignare me laudare te, Virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

*Ant.* Poſt partum. *In Adv. & Annunc. B. M.* Angelus Domini.

*Pſalm. 97.*

CAntate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus: & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ: ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo, omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubi-

Jubilate in conſpectu Regis Domini: moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in Juſtitia: & populos in æquitate.

Gloria Patri, &c.

*Ant.* Poſt partum Virgo, inviolata permanſiſti; Dei Genitrix intercede pro nobis.

*Ant. In Adv. & Annunc. B. M.* Angelus Domini nunciavit Mariæ; & concepit de Spiritu Sancto.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noſter. *Secretè.*

℣. Et ne nos inducas, &c. *Abſolutio.*

PRecibus, & meritis B. Mariæ, ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. ℟. Am.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

*Lectiones ante, & poſt Adventum.*

*Lectio I. Eccl. 24.*

IN omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium; & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi; in Jacob inhabita, & in Iſraël hæreditare, & in electis meis mitte radices. Tu autem Domine, miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. ℟. Quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℣. Ju-

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Ipſa Virgo Virginum, intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

*Lectio II.*

ET ſic in Sion firmata ſum, & in Civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem Domine, miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portâſti, Creatorem mundi; Genuiſti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. ℟. Genuiſti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

*Quando dicitur*: Te Deum. *Aſſumitur in fine hujus reſponſorii* ℟. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ℟. Genuiſti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus ſalutem, & pacem. ℟. Amen.

*Lectio III.*

QUaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion; Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Jericho. Quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam in plateis. Sicut ciñamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi. Quaſi myrrha electa, dedi ſuavitatem odoris. Tu autem Domine, miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

*Hymnus SS. Ambroſii, & Auguſtini*, Te Deum laudamus. *dicitur à Nativitate Domini usque ad Septuageſimam, & à Reſurrectione usque ad Adventum, ac in Feſtis B. V. M.* Vid. f. 30.

*Sequens Responsorium omittitur, quando dicitur* Te Deum laud.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: Quia ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuã sanctam commemorationem. ℟. Quia ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Gloria Patri, &c.

℟. Christus Deus noster.

*Lectiones sequentes dicuntur in Adventu, & Annunciat. B. Mariæ.*

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

℟. Amen.

*Lectio* I. *Luc*, 2.

MIssus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis MARIA. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, desponsatam Joseph, nuncians ei verbum, & expavescit Virgo de lumine. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David, Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum. ℟. Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Le-

*Lectio II.*

QUæ cùm audîsset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio? Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Tu autem Domine miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? & respondens Angelus dixit ei. ℟. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem, & pacem.

℟. Amen.

*Lectio III.*

DIxit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei; Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

Tu autem Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies, & paries Deum pariter, & hominem. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, & eris semper mater intacta.

℟. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Gloria Patri, &c. ℟. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Ante Advent. Antiph.* Assumpta est.

*In Adv.* Missus est.

*Post Adv.* O admirabile.

*Psalm.* 92.

DOminus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es.

Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Assumpta est Maria in cœlum: gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

*In Adv. Antiph.* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Post Advent. Antiph.* O admirabile commercium!

citum! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sinè semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante Advent. Antiph.* Maria Virgo.

*In Adv.* Ave Maria.

*Post Adv.* Quando natus es.

*Psalm.* 99.

JUbilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Populus ejus, & oves pascuæ ejus: introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus: quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus; & usque in generationem, & generationem veritas ejus.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

*In Adv. Antiph.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus Deus noster.

*Ante Advent. Antiph.* In odorem.

*In Adventu.* Ne timeas Maria.

*Post Adv.* Rubum.

*Psalm.* 62.

DEus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

*Psalm.* 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum,

Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

*In Advent.* Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies, & paries Filium. Alleluja.

*Post*

*Post Advent.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem, Dei Genitrix intercede pro nobis.

*Ante Advent. Antiph.* Benedicta Filia.

*In Adventu.* Dabit ei Dominus.

*Post Adventum.* Germinavit.

*Canticum trium puerorum. Dan.* 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol, & luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber, & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis, & æstus Domino: benedicite frigus, & æstus Domino.

Benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu, & frigus Domino.

Benedicite glacies, & nives Domino: benedicite noctes, & dies Domino.

Benedicite lux, & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes, & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria, & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus, & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti, & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſaël, Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu: laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

*Hic non dicitur* Gloria Patri.

*Ante Advent. Antiph.* Benedicta filia tu à Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

*In Adv.* Dabit ei Dominus ſedem David Patris ejus: & regnabit in æternum.

*Poſt Advent.* Germinavit radix Jeſſe, orta eſt ſtella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: Te laudamus Deus noſter.

*Ante Advent. Antiph.* Pulchra es.

*In Adventu.* Ecce Ancilla Domini.

*Poſt Adventum.* Ecce Maria.

*Pſalm* 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum ſol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini,

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi:

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus:

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri:

Bestiæ, & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: princi pes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & Virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum & terram: & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus: filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

*Psalm.* 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

*Psalm.* 152.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudi-

tudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Pulchra es, & decora filia Jeruſalem: terribilis, ùt caſtrorum acies ordinata.

*In Adventu.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.

*Poſt Adv.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

*Sequens Capitulum dicitur ante, & poſt Adv.*

*Capitulum. Cant. 6.*

VIderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

*Sequens Capitulum dicitur in Adventu.*

*Capitulum. Iſa. 2.*

EGredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

*Hymnus.*

O Glorioſa Virginum,
Sublimis inter ſidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli recludis cardines,
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida,
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
JESU, tibi ſit gloria,

Qui

Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

*Ante Advent. Antiph.* Beata Dei Genitrix Maria.

*In Adventu.* Spiritus Sanctus.

*Post Adv.* Mirabile.

*Tempore Paschali omissa prædicta Antiphona, dicitur Antiph.* Regina cœli.

*Canticum Zachariæ.*
*Luc. 1.*

BEnedictus Dominus Deus Israël: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus:

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt



Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.

Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati; serviamus illi:

In sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus,

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum,

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Beata Dei Genitrix

Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs Sancti, sola sinè exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo; ora pro populo, interveni pró Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu.

*In Adventu.* Spiritus Sanctus in te descendet Maria; nè timeas, habebis in utero Filium Dei.

*Post Advent.* Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus homo factus est, id, quod fuit, permansit, & quod non erat, assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.

*Tempore Paschali.* Regina cœli lætare, alleluja: quia quem meruisti portare, alleluja: resurrexit sicut dixit, alleluja: ora pro nobis Deum, alleluja.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Adventum, & in Adventu, Oratio.*

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, ut, qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Christum, &c.

℟. Amen.

*Post Adv. Oratio.*

DEus, qui salutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti; tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

*Pro Sanctis, ante, & post Advent. Antiphona.* Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro nostra, omniúmque salute.

℣. Læ-

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

*Oratio.*

PRotege Domine populum tuum, & Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, & aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

OMnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, & pacem tuam nostris concede temporibus; & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; Benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

*In Adv. pro Sanctis.*

*Antiph.* Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti ejus cum eo; & erit in die illa lux magna, Alleluja.
℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.
℟. Et cum eo Sanctorum millia.

*Oratio.*

COnscientias nostras quæsumus Domine, visitando purifica: ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster cum omnibus Sanctis, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Et fidelium animæ per miseri-ordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

*Si terminandum sit Officium, dicentur ea, quæ sequuntur: alioquin si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ,* Pater noster, *totum secretò.*

℣. Dominus det nobis suam pacem.
℟. Et vitam æternam, Amen.

*Deinde dicitur una ex infrà positis Antiphon. eáque flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis à primis Vesperis Sabbathi, & toto tempore Paschali) & similiter in fine Completorii.*

*A Completorio Purificationis usque ad Nonam Sabbathi sancti inclusivè. Antiphona.*

AVe Regina cœlorum, Ave Domina Angelorum; Salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta: gaude Virgo gloriosa, super omnes speciosa; vale ô valde decora, & pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

COncede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxiliô à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

*A Completorio Sabbathi sancti usque ad Nonam Sabbathi post Pentecosten inclusivè, Antiph.*

REgina cœli lætare, Alleluja. Quia quem meruisti portare, Alleluja. Resurrexit, sicut dixit, Alleluja. Ora pro nobis Deum, Alleluja.

℣. Gaude, & lætare Virgo Maria: Alleluja.
℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluja.

Ore-

Oremus.

DEus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es; præsta quæsumus, ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ, Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*A Completorio Sabbathi post Pentecosten, usque ad Nonam Sabbathi ante Adv. Antiphona.*

SAlve Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparâsti; da ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*In Adv. sequens Antiph. dicitur flexis genibus, præterquam in Dominicis à primis Vesperis Sabbathi.*

*Antiphona.*

ALma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli porta manes, & Stella Maris: succurre cadenti, surgere, qui curat populo; tu quæ genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem; Virgo priùs, ac posteriùs, Gabrielis ab ore, sumens illud

illud Ave, peccatorum miserere.

℣. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*Post Advent. Oratio.* Deus, qui salutis, &c.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum, ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Ave Maria, &c.

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

MEmento, rerum Conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis,
Nascendo formam sumpseris.
Maria Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis horâ suscipe,
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen.

*Ante Advent. Antiph.* Assumpta est.

*In Adv.* Missus est.

*Post Adv.* O admirabile.

*Psalm.* 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce

Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 84.

BEnedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigâsti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irascêris nobis: aut extendes iram tuam à generatione, in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos: & in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: justitia, & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 119.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate

date eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

*In Advent. Antiphona.* Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Post Advent. Antiphon.* O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sinè semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante, & post Advent. Capitulum. Cant. 6.*

QUæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens: pulchra ùt luna, electa ùt sol, terribilis ùt castrorum acies ordinata.

℟. Deo gratias.

*In Adv. Capitulum, Isaiæ. 7.*

ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejns Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Advent. Oratio*

DEus, qui Virginalem aulam Beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es, da quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis, &c.

*In Adv. Oratio.* Deus qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, &c. *ùt supr. in Laud.*

*Post Adv. Orat.* Deus, qui salutis æternæ, &c. *ibidem.*

℣. Domine exaudi &c. *ut suprà ad Laud.*

AD TERTIAM.

Ave Maria, &c.

℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.* Memento, &c. *ut sup. ad Primam.*

*Ante Advent. Antiph.* Maria Virgo.

*In Adv.* Ave Maria.

*Post Advent.* Quando natus es.

*Psalm.* 119.

AD Dominum, cùm tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam;

Sagittæ potentis acutæ; cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 120.

LEvavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cœlum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te: Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te; neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum: & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Psalm.*

*Psalm.* 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt, sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te,

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter Domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, &c.

*Ante Adv. Ant.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio.

*In Adv. Antiph.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt scripturæ; sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum, te laudamus Deus noster.

*Ante, & post Advent.*

*Capit. Eccl.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea,

℟. Deo gratias.

*In Adv. Cap. Isaiæ* 11.

EGredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ky-

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
℣. Domine exaudi orationem, &c.
*In Adv. Orat.* Deus, qui de Beatæ Mariæ, &c. *ùt ſupr. in Laud.*
*Ante. & poſt Adventum, Oratio.* Deus, qui ſalutis, &c.

AD SEXTAM.

Ave Maria, &c.
℣. Deus in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

Memento, &c. *ùt ſup.*
*Ante Advent Antiph.* In odorem.
*In Adv.* Ne timeas.
*Poſt Advent.* Rubum quem viderat Moyſes.

*Pſalm.* 122.

AD te levavi oculos meos; qui habitas in cœlis.

Ecce ſicut oculi ſervorum: in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ità oculi noſtri ad Dominum DEUM noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri; quia multùm repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, &c.

*Pſalm.* 123.

NIſi, quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: niſi, quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos: fortè vivos deglutiſſent nos.

Cum iraſceretur furor eorum in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

Torrentem pertranſivit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: de laqueo venantium.

Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cœlum, & terram.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 124.

QUi confidunt in Domino sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.

Gloria Patri, &c.

*Ante Adv. Antiphona.* In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

*In Adv. Antiph.* Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies, & paries Filium, Alleluja.

*Post Advent. Antiph.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum; conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem; Dei Genitrix intercede pro nobis.

*Ante, & post Advent. Capit. Eccli* 24.

ET radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

*In Adv. Cap. Luc.* 1.

DAbit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℟. Domine exaudi orationem, &c.

*Ante Adv.* *Oratio.* Concede misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum, &c.

*In Adv. Oratio.* Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, &c. *ùt suprà in Laud.*

*Post Adv.* Deus, qui salutis, &c. *ibid.*

℣. Domine exaudi orationem, &c.

AD NONAM.

Ave Maria, &c.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

*Hymnus.* Memento, &c. *ùt suprà.*

*Ante Advent.* *Antiph.* Pulchra es.

*In Adv.* Ecce Ancilla Domini.

*Post Adventum.* Ecce Maria.

*Psalm.* 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrymis; in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant: mittentes semine sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, &c.

*Psalm* 126.

NIsì Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisì Dominus custodierit civitatem: frustrà vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis,

qui

qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ità filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis; non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es: & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domûs tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum; pacem super Isr ël.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Pulchra es, & decora filia Jerusalem; terribilis, ut castrorum acies ordinata.

*In Adv. Antiph.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

*Post Adv. Antiph.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

*Ante, & post Advent.*
*Capit. Eccl.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Deo gratias.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

*In*

*In Adventu.*

*Capitulum. Isaiæ 7.*

ECce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

℟. Et concipiet de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

℣. Domine exaudi orationem, &c.

*Ante Adv. Oratio.*

FAmulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce, ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus; Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit, &c.

*In Adv. Oratio.* Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, &c *ut supr. in Laud.*

*Post Adv. Orat.* Deus, qui salutis, &c. *ibid.*

℣. Domine exaudi orationem, &c.

AD VESPERAS.

Ave Maria, &c.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut suprà.*

*Ante Advent. Antiph.* Dum esset Rex.

*In Advent.* Missus est Gabriel.

*Post Advent.* O admirabile.

*Psalm. 109.*

DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas:

conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

*In Advent.* Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Post Advent.* O admirabile commercium! Creator generis humani animarum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ante Advent. Antiph.* Læva ejus.

*In Advent.* Ave Maria.

*Post Advent.* Quando natus es.

*Psalm.* 112.

LAudate pueri Dominum : laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum : ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : & humilia respicit in cœlo, & in terra?

Suscitans à terra inopem : & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus : cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent Antiph.* Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

*In Adv.* Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

*Post Advent.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ

pletæ sunt scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum; te laudamus Deus noster.

*Ante Advent. Antiph.* Nigra sum.

*In Adventu.* Ne timeas.

*Post Adventum.* Rubum.

*Psalm.* 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt, sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate, quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.

*In Adv.* Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum; ecce concipies, & paries filium. Alleluja.

*Post Advent.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuã laudabilem Virginitatem, Dei Genitrix intercede pro nobis.

*Ante Advent. Antiph.* Jam hyems transiit.

*In Adventu.* Dabit ei Dominus.

*Post Adv.* Germinavit radix. *Psalm.* 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eã.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis; ità filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Jam hyems transiit, imber abiit, & recessit; Surge amica mea, & veni.

*In Adventu.* Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in æternum.

*Post Adv.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem; te laudamus Deus noster.

*Ante Advent. Antiph.* Speciosa facta es.

*In Adv.* Ecce ancilla.

*Post Adv.* Ecce Maria.

*Psalm.* 147.

LAuda Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem; & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ; velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea; flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum suum Jacob; justitias, & judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, &c.

*Ante*

*Ante Advent. Antiph.* Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

*In Adv.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

*Post Adv.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja.

*Ante, & post Advent.* *Capit. Eccl. 24.*

AB initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

℟. Deo gratias.

*In Adv. Cap. Isaiæ* 11.

EGredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini

℟. Deo gratias.

*Hymnus.*

AVe Maris stella,
Dei Mater Alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen,
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle:
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram;
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Sum̃o Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℣. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Ante Advent. Antiph.* Beata Mater.

*In Adventu.* Spiritus Sanctus.

*Post Advent.* Magnum hæreditatis mysterium.

*Temp. Pasch. Antiph.* Regina cœli.

*Cantic. B. M. V. Luc. 1.*

MAgnificat anima mea Dominum.

Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo; diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis.; & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum; recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Beata Mater, & intacta Virgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

*In Adv.* Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria; ne timeas, habebis in utero filium Dei. Alleluja.

*Poſt Advent.* Magnum hæreditatis Myſterium! templum Dei factus eſt uterus neſcientis virum; non eſt pollutus, ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine.

*Tempore Paſchali dicitur Antiph.* Regina cœli, &c. *ut ſuprà in* Laud.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Adv. Oratio.*

COncede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere; & glorioſa B. M. ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari

berari triſtitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſt Advent. Oratio.* Deus, qui ſalutis, &c. *ùt ſuprà.*

*In Adventu. Oratio.* Deus, qui de B. Mariæ Virginis utero, &c. *ùt ſuprà.*

*Orationes pro Sanctis adduntur hìc etiam, ùt in Laud. & in fine earum* ℣. Domine exaudi, &c. *ùt in Laud.*

AD COMPLETOR.

Ave Maria, &c.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis. ℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c. Alleluja.

*Pſalm.* 128.

SÆpè expugnaverunt me à juventute mea: dicat nunc Iſraël.

Sæpè expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem ſuam.

Dominus juſtus concidit cervices peccatorum: confundantur, & convertantur retrorſum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectorum; quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum ſuam, qui metit: & ſinum ſuum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, &c.

*Pſalm.* 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

*Psalm.* 130.

DOmine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua: ità retributio in anima mea.

Speret Israël in Domino: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Memento rerum, &c. *ut sup. ad Primam.*

*Ante, & post Advent.*

*Capitul. Eccl.* 24.

EGo Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

℟. Deo gratias.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Ante Adv. Ant.* Sub tuum præsidium, &c.

*In Adv. Cap. Isaiæ* 7.

ECce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu Sancto.

*In Adv. Ant.* Spiritus sanctus in te descendet.

*Post Adv. Antiph.* Magnum hæreditatis.

*Canticum Simeonis.*

*Luc.* 2.

NUnc dimittis servum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum:

Quod parâsti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſraël.

Gloria Patri, &c.

*Ante Advent. Antiph.* Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix; noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa, & benedicta.

*Tempore Paſch. autem dicitur* Regina cœli, &c. *ùt ſuprà.*

*In Adv.* Spiritus Sanctus in te deſcendet Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluja.

*Poſt Adv. Antiph.* Magnum hæreditatis myſterium: templum Dei factus eſt uterus neſcientis virum; non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Ante Adv Oratio.*

Beatæ, & glorioſæ ſempérque Virginis Mariæ, quæſumus Domine, interceſſio glorioſa nos protegat; & ad vitam perducat æternam. Per Dominum noſtrum, &c.

*In Adv. Orat.* Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero, &c. *ùt ſuprà in Laud.*

*Poſt Adv. Orat.* Deus, qui ſalutis æternæ. &c. *ibidem.*

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

*Bened.* Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

*Deinde dicitur una ex Antiphonis poſitis poſt Laudes pro tempore, cum ℣. & Orat. & dicto verſu:* Divinum auxilium, &c. *dicitur ſecretò* Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

Laus Deo, pax vivis, sanitas infirmis, requies defunctis.

℟. Deo gratias.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

*Bened.* Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

*Ut Indulgentiam defectuum in orando Officio commissorum, consequaris; dic sequentem Orationem, cui Leo X. id concessit.*

*Oratio.*

SAcrosanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini Nostri Jesu Christi Humanitati, Beatissimæ & Gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobísque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CUL-

# CULTUS MAGNÆ MATRIS

## Sempérque IMMACULATÆ VIRGINIS

# MARIÆ.

AVe Maria gratiâ plena, Dominus tecum; tua gratia ſit mecum. Benedicta tu in mulieribus: & benedicta ſit ſancta Anna Mater tua, ex qua ſinè peccato, & macula proceſſiſti. Ave ſanctiſſima Maria, Mater Dei, Regina cœli, porta paradiſi, Domina mundi, pura, ſingularis tu es Virgo: Tu concepiſti Jeſum ſinè peccato: tu peperiſti Creatorem, & Salvatorem mundi, in quo non dubito: libera me ab omni malo, & ora pro peccatis meis. Amen.

*Orantibus hanc orationem coram Imagine B. Virg. conceſſit Sixtus IV. aliquot millium annorum Indulgentias.*

# OFFICIUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

*QUod gratiſſimum ſibi eſſe revelavit Deipara Sevoto famulo ſuo Alphonſo Rodriquez doc. Jeſu. Et SS. D. N. Paulus V. anno 1625. ad perpetuam rei memoriam approbavit: omnibúsque Chriſti fidelibus idem Officium cum Orat.*

*de Immaculata Conceptione piè recitantibus 100. dierum Indulgentias concessit.*

*Ad majorem devotionem, fructúmque spiritualem præmitte Matutino, Horis, Vesperis, & Completorio, singulis singulas salutationes Angelicas, cum affectuosa commemoratione nonnullorum gaudiorum, quæ ipsamet B. Virgo docuit sanctum Thomam Archiep. Cantuar. suum singularem favorem promittens in morte iis, qui ea ad sui honorem devotè in vita recolerent.*

AD MATUTINUM.

I. Ave Maria (quæ post Sanctissimam Trinitatem supra omnes creaturas maximum in cœlo gaudium habes) gratiâ plena, &c.

℣. Eja mea labia nunc annunciate.

℟. Laudes, & præconia Virgini beatæ.

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve mundi Domina, cœlorum Regina:
Salve Virgo Virginum, stella matutina:
Salve plena gratiæ, clara lux divina:
Mundi in auxilium, Domina festina.
Ab æterno Dominus, te præordinavit:
Matrem Unigeniti Verbi, quo creavit
Terram, pontum, æthera; Te pulchram adornavit
Sibi Sponsam, in qua Adam non peccavit.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

℣. Domina exaudi orationem meam.

℣. Et clamor meus ad te veniat. *Oratio.*

SAncta Maria Regina cœlorum, Mater Domini nostri JESU Christi, & mundi Domina: quæ nullum derelinquis, & nullum despicis, respice me Domina clementer oculô pietatis, & impetra

tra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum; ut qui nunc tuam sanctam Conceptionem devoto affectu recolo; æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Sancto Spiritu vivit, & regnat in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domina exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

II. Ave Maria (quæ laureolâ Virginum, omnes choros Angelorum, & hominum præis) gratiâ plena, &c.

℣. Domina in adjutorium, &c *ùt suprà.*

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Salve Virgo sapiens,
Domus Deo dicata.
Columna Septemplici
mensáque exornata.
Ab omni contagio
mundi præservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu Mater viventium, &
porta es Sanctorum.
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis acies
castrorum,
Portus, & refugium
sis Christianorum.

℣. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.

℟. Et effudit illam super omnia opera sua.

℣. Domina exaudì, &c.

*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c *ùt suprà.*

AD TERTIAM.

III. Ave Maria (quæ magno lumine gloriæ tuæ illuminas ad instar Solis, totum cœlum) gratiâ plena, &c.

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

Salve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris; Rubus visionis;

Virga frondens germinis, Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis, Favúsque Samsonis.
Decebat tam nobilem Natum præcavere.
Ab originali labe matris Evæ.
Almam, quam elegerat, Genitricem vere.
Nulli prorsus sinens culpæ subjacere.
℣. Ego in altissimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nubis.
℣. Domina exaudi, &c.
*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c. *ùt suprà.*

AD SEXTAM.

IV. Ave Maria (quæ ab omnibus cœlitibus honoraris, ùt Mater Dei, & cœli Regina) gratiâ plena, &c.
℣. Domina in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve Virgo puerpera, Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium, Cella puritatis;
Solamen mœrentium, Hortus voluptatis,
Palma patientiæ, Cedrus castitatis.
Terra es benedicta, & sacerdotalis,
Sancta, & immunis culpæ originalis,
Civitas altissimi, Porta Orientalis:
In te omnis gratia, Virgo singularis.
℣. Sicut lilium inter spinas,
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Domina exaudi. &c.
*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c. *ùt supr.*

AD NONAM.

V. Ave Maria (quæ potestatem à Filio tuo accepisti, quidvis impetrandi) gratiâ plena, &c.
℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

SAlve Urbs refugii, Turrísque munita
David, propugnaculis armísque insignita.
In Conceptione charitate ignita
Draconis potestas est à te contrita.

O mu-

O mulier fortis, & invicta Judith,
Pulchra Abisai Virgo, verum fovens David,
Rachel, curatorem Ægypti gestavit:
Mundi Salvatorem Maria portavit.

℣. Tota pulchra es amica mea.
℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.
℣. Domina exaudi, &c.
*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c. *ut supr.*

AD VESPERAS.

VI. Ave Maria (quæ devotos quosque tibi servos ad ineffabilem peculiaris gloriæ coronam à Filio tuo præparatam promoves, sicut & ipsa in terris ineffabili gratiâ fuisti donata) gratiâ plena, &c.
℣. Domina in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve horologium, quo retrò gradiatur
Sol in decem lineis:
Verbum incarnatur:
Homo ut ab inferis ad summa attollatur.
Immensus ab Angelis paulò minoratur.
Solis hujus radiis Maria coruscat;
Consurgens aurora in conceptu micat;
Lilium inter spinas, quæ serpentis conterat
Caput, pulchra ut luna, errantes collustrat.

℣. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.
℟. Et quasi nebula texi omnem terram.
℣. Domina exaudi, &c.
*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c. *ut supr.*

AD COMPLETOR.

VII. Ave Maria (cujus gloria, & cultus, in terris ad extremum usque judicii diem continuô augmentô crescet) gratiâ plena, &c. *ut suprà.*
℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.
℟. Et avertat iram suam à nobis.
℣. Domina in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
ſtellis coronata:
Supra omnes Angelos
pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram ſtans veſte deaurata.
Per te, Mater gratiæ,
dulcis ſpes reorum,
Fulgens ſtella maris,
portus naufragorũ;
Patens cœli janua, ſalus infirmorum.
Videamus Regem in
Aula Sanctorum,
Amen.

℣. Oleum effuſum, Maria, nomen tuum.
℟. Servi tui dilexerunt te nimis.
℣. Domina exaudi, &c.
*Oratio.* Sancta Maria Regina, &c. *ut ſupr.*

*Commendatio.*

SUpplices offerimus
tibi, Virgo pia,
Has horas canonicas:
Fac, nos ut in via
Ducas curſu proſpero,
& in agonia
Tu nobis aſſiſte, ô dulcis Maria. Amen.
Deo gratias.

*Ant.* Hæc eſt Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.
℣. In Conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

*Oratio.*

DEus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparâſti; quæſumus, ut ſicut ex morte ejusdem Filii tui præviſa, eam ab omni labe præſervâſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum, &c.

*Pro conſervanda Caſtitate.*

O Sanctiſſima Virgo, & Mater Maria, mundiſſimum pietatis ſpeculum, & puriſſimum Virginitatis exemplar; Ego N. ex intimo te imitandi deſiderio: & amore caſtita-

ſtitatis accenſus, firmiter propono, me, quoad vixero, nullis unquam inhoneſtis cogitationibus, aut deſideriis ſcienter inhæſurum, aut conſenſurum, neque unquam aliquid cogitatione, verbô, opere, vel quovis aliô modô factururum, aut permiſſurum, quod caſtitati adverſum intelligam; & hæc omnia ad majorem Dei gloriam, animæque meæ ſalutem.

Te igitur ô caſtiſſima Virgo! Ego indigniſſimus Filius, per tuam Virginitatem rogo, mihi impetres à dilectiſſimo Filio tuo gratiam, & auxilium, ut quod verbis offero, opere præſtem, & ſinceræ ſemper caſtitatis, & conſtans pietatis amator exiſtam, donec tandem ad cæleſtes Filii tui nuptias admittar, ſuaviſſimis Sanctorum epulis reficiendus in cœlis. Amen.

*Ant.* Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.

℣. Sicut lilium inter ſpinas.

℟. Sic amica mea inter filias Adæ.

*Oratio.*

O Regina Virginum Maria amantiſſima Mater mea! ecce Jeſus benigniſſimus Filius tuus, Virgo, Joannem Virginem, & me indigniſſimum tibi in filium adoptavit; obſecro te igitur per amorem,& ſanguinem, & mortem ejus, ſuſcipe me in filium, quia Filium tuum ex toto corde diligo,téque eligo in Matrem, imò ſi tibi placet cum Bernardino, & Edmundo tuo, in ſponsâ animæ meæ. Malo ſiquidem mori, quàm cogitatione, verbô, aut opere alicujus creaturæ amore inquinari: ſequi te cupio, & Jeſum Agnum quocunque ierit, in æternum, & cum Angelo Cuſtode puritatem ſervare Angeli-

cam,

cam, juxta ſtatum meum in æternum. Accipe, & ſerva, ô dulciſſima Mater: cor, & animam, & corpus meum, tibi toto corde dicata in ſempiternum. Amen.

*Proteſtatio, & propoſitum retinendæ caſtæ mentis.*

EGo N. coram caſtiſſima Virgine Maria, Angelo meo Cuſtode, & tota cœleſti curia, tibi Deus cordis mei, quem ubique præſentem agnoſco, ſanctè veneror, me ſiſto, ac proteſtor: me nolle unquam conſentire, non modò facinori committendo, ſed ne cogitando quidem, quantumvis adverſarii vim inferant. Deteſtor, execror, omnes iſtas fœditates, ac ſpurcitias. Adeſte ergo, ô Maria! ô Angele mi! Patroníque caſtitatis meæ! túque voluntatem meam confirma, ô bone Jeſu! quod per Sanguinem tuum ſupplex precor. Am.

Amuletum Caſtimoniæ profligandis cogitationibus obſcœnis.

I. *UBi primùm advertis tentationem, cogitationem mox transfer quocunque aliò; cogita de negotiis, de rumoribus, de aliqua, quam pateris, moleſtia; aut numera feneſtræ orbiculos vitreos, tabulati tigilla, &c.*

*Cave ſis: frontem contrahere, capite abnuere, ſed nec opus eſt reſponſare interiùs.* Non volo: Non faciam: Non conſentio. *Neque id vulgariter conſultum.*

*Hoc unum, mentem aliò abduxiſſe, viciſſe eſt. Itaque in hoc totus eſto; quò conducit itidem, ſi quo mox opere gnaviter te occupes.*

II. *Si perdurat cogitatio, Cruce pollice ad pectus efformata, Jeſum, ac Mariam advoca. Dic obiter:* O bone Jeſu! ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!

*Vel cum Angelico Thoma Aquinate;* Ne ſinas, quæſo, Domine Jeſu, & tu ſanctiſſima

Ma-

Mater, & Virgo Maria, ut tam immani me scelere obstringam.

*Maximè autem senties Virginis auxilium, si quotidiana prece, vel Rosario, vel Litaniis, vel Hymnô aliquô, vel Sabbatinô jejuniô eam colueris.*

III. *Moribus pravis compescendis valet plurimùm, labia, vel linguam tantisper admordere, ungues manui ad dolorem imprimere, vel aliô quovis modô corpori incommodare.*

*Juvat subinde, vel solùm situm mutare corporis, ùt stare, si consederas; sedere, si stabas; si decumbis, in latus te versare alterum.*

*Si motus persistant, nihil turbare: non nocet sensus, ubi non est consensus: tantùm ne reflectito, sed distine te cogitatione alia.*

IV. *Si tentatio est importunior: imaginare sub pedibus tuis laxari inferos; eósque inspice.*

*Cogita: Fide certum esse: aut pœnitendum tibi, si delinquis, aut æternùm ardendum.*

*Dic ideò:* Quomodo possum facere malum hoc? Proh! nimis vesanum est, spontè facere pœnitenda. Nimis incertum est, an detur pœnitere: nimis longum est, æternùm ardere.

V. *Quòd si vim pateris vehementiùs, imaginare coram te Christum Cruci suffixum. Dic ex tempore cum Divo Bernardo:* Deus meus pendet in patibulo; & ego voluptati operam dabo.

*Quot autem vides vulnera, tot ora esse cogita: quibus te Deus tuus obtestatur:* Fili mitte cogitationem illam. O homo! nonne satìs propter te vulneratus sum; Siquidem tam vile tibi sit cœlum meum, tam pro nihilo tibi sint inferorum supplicia? at non tam vilis tibi sit Sanguis meus, & amor meus.

*Dic agedum:* Deus meus, & omnia! Dominus meus, & Deus meus! *Dic*

*Dic iterum cum sancto Bernardo*: Calix, quem potâsti ô bone Jesu! cogit me, ut amem te: amo te, Deus meus amabo te, Deus meus, super omnia in æternum. Dehiscat me ante tellus absorbens, quàm offendam te. Malo mori, millies malo mori.

VI. *Porrò piæ hæ cogitationes omnes ità usurpandæ, ut potissimùm menti aliò traducendæ serviant, ut non multùm cum malis cogitationibus tuis disputes, quod maximè cavendum. Siquidem cogitationes illæ, juxta nomen suum, ùt immundæ, ùt sordidæ, ùt spurcæ, ùt obscœnæ vocantur, ità lutum sunt, ac cœnum. Facilè, si insistis, inquinant.*

*Cæterùm, tanquam à facie colubri, pravarum cogitationum occasionem omnem fuge. Securiùs est, perire non posse, quàm juxta periculum non periisse.* S. Hjeron.

# LITANIÆ LAURETANÆ B. V. MARIÆ,

## Pro Felici Morte.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, Ora.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta VirgoVirginum, ora.
Mater Christi, Ora.
Mater Divinæ gratiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castissima, ora.
Mater inviolata, ora.
Mater intemerata, ora.
Mater amabilis, ora.
Mater admirabilis, ora.
Mater Creatoris, ora.
Mater Salvatoris, ora.
Virgo prudentissima, ora.
Virgo veneranda, ora.



EFFIGIES S. MARIÆ LAURE-
TANÆ

Virgo prædicanda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidelis, ora.
Speculum justitiæ, ora.
Sedes sapientiæ, ora.
Causa nostræ lætitiæ, ora.
Vas spirituale, ora.
Vas honorabile, ora.
Vas insigne devotionis, ora.
Rosa Mystica, ora.
Turris Davidica, ora.
Turris eburnea, ora.
Domus aurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Janua cœli, ora.
Stella matutina, ora.
Salus infirmorum, ora.
Refugium peccatorum, ora.
Consolatrix afflictorum, ora.
Auxilium Christianorum, ora.
Regina Angelorum, ora.
Regina Patriarcharum, ora.
Regina Prophetarum, ora.
Regina Apostolorũ, ora.
Regina Martyrum, ora.
Regina Confessorum, ora.
Regina Virginum, ora.
Regina Sanctorum omnium, ora.
Patrona Hungariæ, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Ave Maria.

SUb tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, men-

mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.
Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oratio.*

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, &c. Amen.

Admonitio de his Litaniis B. V. Mariæ.

*CIrca Litanias B. Virginis notandum est, multis abhinc annis viros nonnullos Religiosos convenisse, ut eas pro se invicem recitarent pro felici morte, & gratia ad hanc necessaria obtinenda. His se junxerunt in Italia, Hibernia, India, Gallia, Germania, & Hungaria, multa millia hominum. Ad hoc autem ut quis particeps sit istarum precum.*

I. *Oportet, ut has Litanias quotidie recitet, cum Oratione ad Sanctum Josephum hic posita.*

II. *Ut ipse dicat has preces pro omnibus, sicut omnes pro ipso.*

III. *Ut recitet pro felici morte, & gratia ad hanc necessaria impetranda.*

*Qui verò has Litanias recitare volet pro se solo is fructu sperato non carebit.*

*Post Litanias, vel cùm licuerit, commodè subjunguntur tria* Ave Maria, *cum totidem Oratiunculis, quas ipsa Deipara traditur docuisse S. Mechtildem, promittens iisdem: qui has quotidie recitaverint, suam in hora mortis assistentiam.*

I. Ave

I. Ave Maria.

*Oratio.*

O Domina mea sancta Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit; ità mihi quæso, adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem.

II. Ave Maria.

*Oratio.*

O Domina mea sancta Maria, sicut te Filius Dei tanta sui cognitione, & claritate dignatus est, ut totum cœlum illuminares; ità in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantiâ pervertatur.

III. Ave Maria.

*Oratio.*

O Domina mea sancta Maria, sicut Spiritus Sanctus suum amorem tibi plenè infudit; ita tu in hora mortis dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima.

Sanctissima Dei Parens Maria Virgo, per acerbissima Passionis Jesu Christi Filii tui merita, te supplex rogo: ut si fortè hodie, vel hac horâ, vel hoc momentô me mori contigerit, mei memineris.

O amantissima Mater mea in manus tuas commendo animam meam, & corpus meũ, & finem vitæ meæ.

O Domina dulcissima, visceribus misericordiæ plena, sancta Maria, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea, & improvisâ superveniat, ne subitò, & imparatus de hoc mundo transeam. Ora pro me Maria Virgo benedicta, o unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi mortem amarissimam; ut peccati detestatione, diaboli, & operum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura, & humili confessione, pœnitentiâ, & satisfactione digna sanctissimorum Sa-

Sacramentorum acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus, de hoc mundo transeam. Fac mecum misericordiam tuam, ô Beata V. Maria, Mater Dei! in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingua se non poterit movere ad invocandum te, neque oculi mei lucem capere poterunt, auresque meæ nulli voci patescent.

Memor esto tunc precum, ô Maria, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa hora ultimæ necessitatis meæ, ut liberer à ministris diaboli, & collocer cum Christi fidelibus, Filii tui servis, & amicis.

O felix Maria! tu Mater Dei, tu Mater rei, tu Mater Judicis, tu Mater exulis; cùm sis Mater utriusque filii, ne sinas filium reũ damnari per Filium Deum: sed Materna pietate procura, ut filius reus, reconcilietur Filio, qui est Deus, & per Filium Judicem, filium exulem recipe in Patriam. Amen.

ALIÆ SEPTEM Piæ Oratiunculæ ad B. Virg. pro felici obitu in singulos hebdomadæ dies distributæ.

*Die Dominico.*

AVe, gaude, vale, salve Domina sanctissima, Virgo Maria, Mater misericordiæ, & Consolatrix omnium ad te devotè confugientium, cœli Regina, in cœleste palatium cum ingenti jubilo Sanctorum introducta, per te Sanctissima Virgo Maria, transitus de hoc mundo in extremis meis Catholica fide, pura confessione, Corporis, & Sanguinis Jesu Christi devota perceptione muniatur.

*Feria II.*

PRopter honorem materni nominis, & amorem Virginei partûs tui, animam meam de hoc mundo migrantem clementer assume. Defende eam ab immundis spiritibus,

bus, eorúmque accusationibus, terroribus, læsionibus, & illusionibus.

*Feria III.*

VEni Domina mea cum cœlesti militia, in exitu miseræ animæ meæ, para ei iter tutum, cùm ante districtum Judicem Filium tuum ducta fuerit, & quia te piam Matrem misericordiæ tunc invocare non possum, ideò nunc animam meam in illa fide recommendo tibi, in qua Deus Pater unigenitum Filium suum commendavit, quando eum de te carnem sumere voluit, in qua ipse Filius Dominus Jesus Christus in Cruce pendens, te S. Joanni in Matrem, & illum tibi in filium commendavit, in qua SS. Trinitas in transitu tuo animam tuam sanctissimam suscepit, téque ad thronum gloriæ collocavit; ità & tu clementissima Virgo Maria, animam meam non deseras, quousque tuis meritis, & precibus gratiam, & misericordiam à dilecto Filio tuo Domino nostro Jesu Christo obtineat, & quod minus habent mea merita, suppleat gratia tua, & misericordia, quia tu es unica spes, & misericordia mea cum Domino Jesu nostro.

*Feria IV.*

SUrge ergo pia, surge propitia, intra Sanctuarium exauditionis, expande immaculatas manus tuas ante aureum altare humanæ reconciliationis. Erit per te impetrabile, quod per te ingero, erit excusabile, quod timeo. Non potest diu sustinere supplicantem, quem tu sæpissimè consolata es dulcis Mater vagientem. Tibi ergo ô Genitrix vitæ, ô Mater salutis, ô templum pietatis, & misericordiæ! tibi se commendat peccatrix anima mea morbô vitiorum scissa, ulceribus flagitiorum putrida, ut tuis

meritis, & precibus digneris eam ſanare, tuóque Filio reconciliare.

*Feria V.*

O Clementiſſima, ô piiſſima, ô dulciſſima Virgo Maria! propter ineffabilem miſericordiam, & Virgineum partum, eripe animam meam in ultima hora egreſſionis ejus à corpore, ab omni poteſtate, & invaſione dæmonum, ne cum ipſis impiis, æternis deputetur incendiis, ſed pro judicio tuæ inexhauſtæ pietatis & miſericordiæ, reſtitue eam in paradiſum jucunditatis æternæ.

*Feria VI.*

ESto mihi ô Virgo Maria in extremis meis auxiliatrix, adſis mihi ô beatiſſima V. Maria, in illa hora, quando præmortuam linguam meam movere non potero ad te invocandum; & cum oculos meos levare non potero ad te Virgo Maria, eſto tunc memor precum mearum, quas nunc ad te fundo.

*Sabbatho.*

SUbveni mihi Domina in hora reſolutionis meæ, ne Princeps tenebrarum mihi occurrat, nec poteſtas inferorum adverſùm me prævaleat. Nec patiaris ô Virgo Dei Genitrix! animam meam gehennalibus pœnis ſubjacere, ſed eam ab æternæ mortis caligine libera, ipſo auxiliante, & miſericorditer concedente, quem tu concipere, parere, & lactare meruiſti, Jeſu Chriſto Filio tuo Domino noſtro, qui cum Patre, & Spiritu Saɴcto, vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Am.

*Meminerit Lector devotus: conceſſiſſe Leonem X. P. M. omnibus fidelibus Indulgentias mille dierum, dicentibus unum* Ave Maria, *pro felici morte, quan docunque hora auditur; quod ipſum confirmavit Paulus V.*

*Oratio votiva Sodalitatis.*

SAncta Maria Mater

Dei, & sinè peccato originali concepta Virgo! Ego N. te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmitérque statuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ. Amen.

*Oratio ad B. Virginem Mariam.*

OBsecro te, Domina, Sancta Maria, Mater Dei, pietate plenissima, summi Regis Filia, Mater gloriosissima, Mater orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum; fons misericordiæ, fons salutis, & gratiæ; fons consolationis, & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ! per illam sanctam, & ineffabilem lætitiam, qua exultavit spiritus tuus in hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annunciatus, & conceptus Filius Dei fuit; & per illam sanctissimam humilitatem tuam, in qua respondisti Archangelo Gabrieli: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum:* & per illud divinum mysterium; quod tunc operatus est in te Spiritus Sanctus, & per ineffabilem gratiam, pietatem, misericordiam, amorem, & humilitatem, per quæ Filius tuus Dominus noster Jesus Christus descendit accipere humanam carnem in venerabili utero tuo; & per gloriosissima gaudia, quæ habuisti de Filio tuo Domino nostro Jesu Christo; & per illam sanctam, ac maximam

compassionem, ac acerbissimum cordis dolorem, quem habuisti, quando eundemFilium tuum D. N. ante Crucem nudatum, & in ipsa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, & amarissimum potum, fel cum aceto ori ejus apponi vidisti; Eli clamantem audîsti, & morientem conspexisti; & per quinque vulnera ipsius, per contractionem viscerum tuorum præ nimio dolore vulnerum suorum, & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari: per fontes Sanguinis sui, & per omnem passionem ejus, per dolorem cordis tui: & per fontes lachrymarum tuarum; ut cum omnibus Sanctis, & electis Dei venias, & festines in auxilium, & consilium meum, in omnibus orationibus, & petitionibus meis, in omnibus illis rebus, in quibus ego sum ali quid facturus, locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus, ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ. Impetres quoque mihi famulo tuo, à dilecto Filio tuo Domino nostro Jesu Christo virtutum omnium complementum, cum omni misericordia, & consolatione, omni consilio, & adjutorio, omni benedictione, & satisfactione, omni salvatione, pace, & prosperitate, omni gaudio, & alacritate; etiam abundantiam omnium bonorum spiritualium, & sufficientiam corporalium, gratiámque S. Spiritûs, qui me bene per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat, & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, futura moderetur, vitam honestam, & castam largiatur: fidem, spem, & charitatem mihi præstet, articulos fidei fir-

miter credere, & præcepta legis observare me faciat, sensus corporis mei regat, & protegat, nec non à peccatis mortalibus me semper liberet, ac defendat usque in finem meum. Hanc orationem suppliciter exaudiat, & suscipiat, mihíque vitam æternam tribuat. Audi, & intercede pro me ô dulcissima Virgo Maria, Mater Dei, & misericordiæ. Amen.

*Alia ex S. Anselmo.*

AMore, & desiderio ad te piissima Virgo Maria suspiro, & tanquam parvulus ad tua ubera vehementer anhelo: da mihi tui copiam, & amorem dulcissima Domina, doce me, quâ reverentiâ te debeam cogitare, quo affectu ex te delectari, tibíque servire Utinam sic viscera animæ meæ, dulci fervore tuæ delectationis exardescant, ut viscera carnis meæ exarescant! Utinam sic intima spiritûs mei, dulcedine tui affecta, impinguentur, ut medullæ corporis mei exsiccentur! Domina mea, da mihi amore tui impinguari, succendi, beatificari. Non deneges mihi id petenti, quo me confiteor indignum; sed da amorem tuum supplicanti animæ, & reddam tibi, quod justissimè debeo. Impende mihi tuam, ô Virgo, gratiam, & fac cum servo tuo misericordiam, ut diligens te, diligar à te, & ut, sicut tu verè diligis me, ità & ego verè diligam te. Veneretur ergo te, sicut digna es, mens mea: diligat te sicut æquum est, cor meum; serviat tibi, sicut expedit, anima mea: exultet in te, sicut debet, caro mea; & in hoc consummetur vita mea; ut in æternum salvetur tota substantia mea; fiat, fiat.

*Alia S. Augustini.*

O Felix Maria, & omni laude dignissima! ô Virgo Dei Genitrix gloriosa! ô sublimis puerpera, cujus vi-

visceribus auctor cœli, terræque committitur! ô Beata Maria, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudis præconia rependere; quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito: quas tibi laudes fragilitas humana persolvat? quæ solo tuo commercio, recuperandi vitam, aditum invenit. Accipe itaque exiles quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis gratiam reconciliationis, impetra, quod rogamus, & excusa, quod timemus; quia nec potiorem meritis invenimus, quàm te ad placandam iram Judicis, quæ meruisti esse Mater Redemptoris, & Judicis. Succurre ergo miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant sanctum tuum nomen. Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cœlorum peregrinis, & cùm te lætantem aspicis, fletus nostros quæ sumus ipsa apud Deum admittas, eúmque ùt proprium Filium pro nobis interpelles. Nos enim adhuc in terra hac affligimur, injuriis lacessimur, opprobriis afficimur, esurimus, sitimus, somnum patimur, in carcere retinemur. Tu verò in cœlestibus prælata es cunctis Virginum Choris; Tu Agnum, quocumque perrexerit, sequeris; Tu Virgineos Choros à carnis illecebris alienos, per albentia lilia, rosásque vernantes ad fontes perennes potandos incitas. Tu, in illa Beatorum felicissima regione, primi ordinis dignitatem adepta plantis roscidis oberrans,

rans, inter paradisi amœnitatem, gramineósque crocos tenero poplite pergis, felicique palmâ violas immarcescibiles carpis. Tu concinis sinè fine, choris conjuncta, & summis Angelis, Archangelísque sociata, indefessa voce Sanctus clamare non cessas. Tu in cubiculo Regis beatitudinum, gemmis, ac margaritis ornata assistis. Tibi thorus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis, téque ipse RexRegum, ùt Matrem veram, & Sponsam decoram præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi sociat. Nec mirum, si dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu parvulum ex te hominem natum, toties exosculata es in terris. Has ergo felicitates possidens, convertere ad nostrarum miseriatum salutem. Assiste parata votis poscentium, & repende omnibus paratum effectum: sint tua studia assiduè orare pro populo Dei, quæ meruisti, benedicta ferreRedemptorem mundi, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*Alia S. Bernardi.*

SAlve Mater misericordiæ, Domina mundi, Regina cœli Virgo Virginum, Sancta Sanctorum, lumen cœcorum, justorum gloria, peccatorum venia, desperatorum reparatio, deficientium fortitudo, salus orbis, speculum totius integritatis salve. Tuæ quæso, ô Maria! sit pietatis, obtinere reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, adjutorium periclitantibus. Per te accessum habeamus ad Filium tuum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis; & humilitas tua Deo tam grata, nostræ veniam impetret vanitati, ac superbiæ. Copiosa cha-

ritas

ritas tua, nostrorum cooperiat multitudinē peccatorum: & fœcunditas tua gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam, quam meruisti; per misericordiam, quam peperisti: ut qui te mediante dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula. Am.

*Alia Joannis Lanspergii.*

QUot Maris sunt guttæ, cœli stellæ, quot Beatorum spirituum agmina, quot arborum folia, & terræ gramina; toties ex intimo cordis mei te saluto, ô nobilissima, electissima, pulcherrima, gloriosissima, atque dignissima Mater Dei, cœli Regina præclarissima, amabilissima, atque dulcissima Domina, Virgo Maria! saluto autem te in unione amoris, & per cor dilecti Filii tui, atque omnium te amantium, méque tibi commendo, atque in proprium Filium tibi assigno. Oro etiam, ut tu me suscipias, & apud Deum facias, ut sim tuus, ut sis mea post Deum Domina, gaudium meum, corona, ac Mater mea dulcissima. Amen.

HYMNUS
*Innocentii III.*
AD B. V. MARIAM.

AVe mundi spes Maria,
Ave mitis, ave pia,
Ave charitate plena,
Virgo dulcis, & serena.
Sancta parens JESU Christi,
Electa sola fuisti,
Esse Mater sinè viro,
Et lactare more miro.
Angelorum Imperatrix,

Peccatorum Consolatrix,
Consolare me lugentem,
In peccatis jam fœtentem.
Precor te Regina cœli,
Corde pio, & fideli,
Me habeto excusatum,
Apud Christum tuum natum.
Nam peccavi illi soli,
O Maria Virgo noli
Esse mihi aliena,
Gratiâ cœlesti plena.
Esto custos cordis mei,
Signa me timore Dei,
Da peccata me vitare,
Et quod justum est amare.
Da spem firmam, fidem rectam,
Charitatémque perfectam,
Da, da Virgo finem bonum,
Quod est super omne donum.
Eja rosa sine spina,
Peccatorũ medicina,
Pro me natum interpella,
Ut me salvet à procella.
Hujus mundi tam immundi,
Cujus fluctus furibundi,
Omni parte me impingunt,
Et peccati zonâ stringunt.
Miserere, miserere;
Miseratrix nam es verè:
Miserere Miseratrix!
Orphanorum Mediatrix.
Ut dum instat hora mortis,
Adsis mihi Virgo fortis,
Adsis mihi Virgo custos,
Et me loces inter justos.

*Oratio.*

*Mendicans à B. Virgine.*

SAluto te humillimè, laudo, & glorifico, ô S. Maria! Domina mea clementissima, purissima, castissima, felicissima; Regina Angelorum potentissima: Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum gloriosissima: Martyrum fortissima: Confessorum sapientissima, & fidelissima; Virginum, Viduarum, & omnium Sanctorum mundissima; Dei Mater ve-

verissima. Tu nôsti miserias meas, infirmitatem, & vulnera, paupertatem, & nuditatem: Ecce gemitus meus, & languor desiderii mei coram te est. Sicut ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ: ità ubicunque fuerit miseria, tua currit, & succurrit misericordia. Adeò pietate replentur ubera tua, ut tacta alicujus miseriæ notitiâ, lac fundant misericordiæ: nec potes miserias scire, & non subvenire. Ecce pedibus tuis advolutus, ô Asylum miserorum, ô mediatrix inter Deum, & homines, humiliter rogo, & obtestor maternum pectus tuum, per eum amorem, quo Jesum Filium tuum diligis: per eam charitatem, qua nos in servos, clientes, & indignissimos filios tuos adscivisti: impetra mihi plenam remissionem peccatorum meorum, verissimam eorum detestationem, & dignos in hac vita pœnitentiæ fructus: generosam item mortificationem sensuum, & passionum mearum, & plenissimam tentationum victoriam. Exora mihi augmentum fidei, certam spem, perfectam charitatem, integram in voluntatem Dei resignationem, puritatem intentionis, affectum devotionis erga Jesum Crucifixum, Venerabile Sacramentum, & erga te Dominam, ac Matrem meam.

Impetra mihi obedientiam erga superiores, affabilitatem, & mansuetudinem erga omnes; profundam humilitatem, magnanimitatem, & in adversis patientiam; ac denique perseverantiæ donum, sanctámque, & felicem mortem.

Eja Advocata nostra, exhibe mihi in hora mortis meæ, jucundissimam præsentiam tuam; & adversùs ardores justitiæ divinæ umbrâ tuâ me contege. Ità eris mihi sem-

per Domina, & Regina clementissima, ac Mater amantissima; tuúmque honorem, & cultum, quibus potero obsequiis, & officiis, tuo confirmatus favore, promovere conabor.

Memorare piissima, & gloriosissima Virgo Maria, Mater misericordiarum: & totius consolationis; à sæculo non esse auditum, ad tua præsidia currentem, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia, à te, Virgo Maria derelictum. Idcircò tali animatus fiduciâ, ad te Virgo Virginum, Regina cœlorum, & Domina Angelorum, ô Maria Mater Domini nostri Jesu Christi, confugio; ad te, Stella maris, curro; coram te miser, gemens, & tremens assisto: noli ô Domina mundi, noli æterni Verbi Mater, verba mea despicere! sed audi propitia, & exaudi me miserum, ad te in hac lachrymarum valle clamantem, nunc, & semper, maximè in hora mortis meæ; O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria! Amen.

*Igniculus Amoris erga Beatam Virginem.*

Maria gustum sentio, quando tui fit mentio. Opinor hoc vocabulum, amoris esse pabulum.

Lac, & mel est hæc vocula: fluunt amoris pocula;
Maria, quinque literis in cor meum dum mitteris.

Per labra nectar bibitur, cordíque vox allidítur:
Hinc cordis in cavernula, auditur Echo ternula.

Meum cor est triangulum: Maria quemvis angulum,
Tangit tui dilectio: ubique fit reflexio.

Cordis mei pars extera, sinistra pars, & dextera.
Et summa pars, & infima, pars ipsa cordis intima,

Dum te loquuntur ſingulæ, & ſunt amoris lingulæ.
Amando te, ſe dedicant, dicando ſe, te prædicant.
Maria, ſi te prædico, Maria, ſic me dedico.
Et ſi tibi cor præbeo, Maria, amare debeo.
Cùm nomen hoc reduplico, Maria, amari ſupplico:
Ut me tibi deſpondeas, amare me reſpondeas.
Si Virgo mecum vixeris, ſi cor meum confixeris.
Amore factus ebrius, dicam Mariam crebriùs.
Non frangar aſſuetudine, ulláve laſſitudine:
Nam cùm tui fit mentio, Maria, guſtum ſentio.

MEDICAMEN SPIRITUALE

# CONTRA PESTEM

Conſtans V. Pſalmis B. Virginis.

*Ex Pſalterio S. Bonaventuræ, cum cæteris Oratiunculis ad B. V. Mariam.*

## AD LECTOREM.

*Contra peſtem orandi ſunt quinque Pſalmi B. V. ex Pſalterio S. Bonaventuræ extracti, complectentes literariè nomen Mariæ, quorum quilibet continet XII. verſus, ad coronam XII. ſtellarum applicatos: quos ſi cum tota fide, & emendationis propoſito devotè legeris, quod petieris, indubiè, vel ſecundùm divinam diſpoſitionem melius quiddam aſſequêris. Exemplum hujus accipe. Annô Domini* 1470. *Romæ in Conventu Ordinis S. Auguſtini, Templi, quod dicitur* ad S. Mariam de Populo, *ſubitò obierunt peſte infecti, Cuſtos, & Socius ejus; unde Fratres (quandoquidem non longè antea eosdem in infirmitate allocuti fuerunt) perterriti ſunt. Convocans autem Prior omnes Fratres, convenit cum eis de quinque hiſce Pſalmis, ſi peſtis illa ceſſaret, perpetuis temporibus ad Dei laudem, & glorioſæ Virginis Mariæ, per unum de Conventu Fratrem quotidie perſolvendis Mirum certè; Fratribus votum fideliter reddentibus, Peſtis omnis, non tantùm tunc ceſſavit, ſed nec unquam usque nunc quempiam de Conventu corripuit.*

*Suffragium.*

SUb tuum præſidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa, & benedicta.

*Oratio.*

BEatæ, & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ, quæſumus Domine interceſſio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

*Pſalm. I.*

MAgna es Domina, & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri: & in univerſa Eccleſia Electorum ejus.

Miſericordia tua, & gratia tua ubique prædicatur: Deus operibus manuum tuarum benedicit.

Miſerere noſtri Domina, & ſana infirmitatem noſtram: tolle dolorem, & anguſtiam cordis noſtri.

Mitte Angelum bonum in occurſum noſtrum, per quem ab hoſtibus defendamur.

Miſerere noſtri in die anguſtiæ noſtræ: & in veritate tua irradia nos.

Miſerere noſtri Domina, miſerere noſtri: quoniam tu es ſpes, & lux omnium ſperantium in te.

Memento noſtri, perditorum Salvatrix: exaudi planctus, & ſuſpiria noſtra.

Miſerere noſtri Domina, & ora pro nobis: in lætitiam bonam verte mœſtitiam noſtram.

Miſerere ſervorum tuorum Domina: & ne ſinas eos anguſtiari in tentationibus ſuis.

Miſerere noſtri Regina gloriæ, & honoris: & de omni periculo cuſtodi vitam noſtram.

Miſerere noſtri Mater Salvatoris: præſta conſolationem in tribulatione noſtra.

Medere contritis corde, Domina ſalutis, & refove eos unguentô pietatis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Psalmus II.*

AD te Domina clamabo, & exaudies me: in voce laudis tuæ lætificabis me.

Ad te clamavi, cùm anxiaretur cor meum: & exaudisti me de monte Sanctorum.

Amplectamur Mariæ vestigia, peccatores: & beatis pedibus ejus provolvamur.

Accedite ad eam cum reverentia, & devotione: & delectetur cor vestrum in salutatione illius.

Accedite ad eam in tribulationibus vestris: & stabiliet vos serenitas vultûs illius.

A rugientibus præparatis ad escam: de manibus quærentium nos liberati sumus gratiâ illius.

Attendite populi mei præcepta Dei: & Reginæ cœli nolite oblivisci.

Aperite cor ad investigandam eam: labia ad glorificandam eam.

Accendantur affectus cordis in illam: & inimicos nostros induet confusione.

Abstulit à corde mœstitiam, & mœrorem: & suavitate sua cor nostrum dulcoravit.

Adorate illam in decore illius: glorificate Opificem pulchritudinis ejus.

Adjutoriô suô sanctô, evasimus pericula mortis: & de sæva peste liberati sumus.

Gloria Patri, &c.

*Psalmus III.*

REfugium tu es Domina, in tribulatione nostra: & virtus potentior conterens inimicum.

Religiosi omnes honorate illam: quia ipsa est adjutrix, & vestra spiritualis advocata.

Recurramus ad eam in tribulatione nostra: & eripiet nos de periculis nostris.

Recordare Domina, ut loquaris pro nobis bonum: & indignationem Filii avertas à nobis.

Respice miseriam nostram, gloriosa Virgo: angustiam, & tribulationem ne tardes removere.

Re-

Recordare Domina pauperum miserorum: & sustenta eos ope refugii sancti tui.

Recordare nostri Domina, ut non apprehendant nos mala: succurre nobis in fine, & inveniemus vitam æternam.

Resperge cor nostrum dulcedine tua: fac nos oblivisci angustias hujus vitæ.

Respice Domina humilitatem servorum tuorum: & ne sinas eos periculis subjacere.

Respice nos servos tuos virtutibus sanctis: & ira Dei non appropinquet nobis.

Respice Domina humilitatem cordis nostri: & libera nos de afflictione pessima.

Reminiscere miserationum tuarum Domina: & releva peregrinationem incolatûs nostri.

Gloria Patri, &c.

*Psalmus IV.*

IN te Domina confido: propter multitudinem misericordiæ nominis tui.

Judica me Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum: sed quia in te speravi, non infirmabor.

In manus tuas commendo corpus, & animam meam: totam vitam meam, & diem ultimum meum.

Influe nobis radios tuæ pietatis: & clarifica nos fulgoribus misericordiæ tuæ.

Innova signa, & immuta mirabilia: ut sentiamus adjutorium brachii tui.

Intercede pro nobis salutifera Mater Dei; quia Angelorum, & hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis: & unguentis placa dolorem nostrum.

Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo: & voces gementium ne despexeris.

In manu tua, Domina, salus, & vita consistunt; lætitia sempiterna, & æternitas gloriosa.

Inveniant quæso gratiam

tiam apud Deum: qui te in ſuis neceſſitatibus invocabunt.

In periculis, & rebus dubiis, & in neceſſitatibus cunctis: invenientes adjutoriū dulce.

Ipſa enim mederis contritis corde: & refoves unguentô pietatis.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Pſalmus V.*

AD Mariam, cûm tribularer, clamavi: & clementiâ ſuâ exaudivit me.

Ad te Domina levavi animam meam in judicio Dei mei: & precibus tuis non erubeſcam.

Ave gratiâ plena, Deus tecum; per quem ſalus mundi reſtauratur.

Aſcendiſti alternantibus hymnidicis Angelorum choris: Archangelorum conſtipata roſis, & liliis coronata.

Ablue Domina omnia peccata noſtra: ſana omnes infirmitates noſtras.

Aufer à nobis tribulationem noſtram: & dulcifica omnem dolorem noſtrum.

Avertatur à nobis ira Dei per te: placa eum meritis, & precibus tuis.

Aperiantur nobis per te portæ juſtitiæ: ut enarremus omnia mirabilia tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis: ut per te liberemur de anguſtiis noſtris.

Adjutorium noſtrum in virtute ſit nominis tui: per te omnia opera noſtra dirigantur.

Ab omni perturbatione libera ſervos tuos: & fac eos vivere ſub pace, & protectione tua.

Adorent te familiæ gentium: glorificent te omnes ordines Angelorum.

Gloria Patri, &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas, &c.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus

℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte nobis auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Domine exaudi, &c.

Oremus.

DEfende quæſumus Domine, B. Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, ab omni infirmitate, & peſte, & ab omnibus tuere clementer periculis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Antiphona*, *&* *Oratio contra Peſtem.*

STella cœli exſtirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis Peſtem, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipſa ſtella nunc dignetur
Sidera compeſcere,
Quorum bella plebem cædunt,
Diro Mortis ulcere.
Glorioſa ſtella maris,
Summis digna laudibus!
Nos à Peſte tuearis,
Et à mundi fraudibus.
Medicina Chriſtiana,
Sanos ſerva, ægros ſana,
Quod non valet vis humana,
Præſtet tua gratia. A.

Audi nos Maria,
Nam Filius nihil negans, Te honorat:
Salva nos Meſſia,
Pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. In omni tribulatione, & anguſtia noſtra,
℟. Succurre nobis piiſſima Virgo Maria.

Oremus.

DEus miſericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ! qui miſertus es ſuper afflictionem populi tui, & dixiſti Angelo percutienti populum tuum: Sufficit nunc, contine manum tuam; ob amorem illius Stellæ glorioſæ, cujus ube-

ubera pretiosa contra venenum nostrorum delictorum dulciter suxisti, præsta auxilium gratiæ tuæ: ut ab omni peste, & improvisa morte securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer salvemur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Am.

O B L A T I O
*Sui ipsius, Beatæ Virgini.*

PRetiosissima Dei Genitrix, universorum Domina, & Princeps totius humani generis; cui serviunt Angeli, & Archangeli, Cherubim quoque, ac Seraphim, & universi Beatorum spirituum ordines, cum tota Curia cœlesti. Ego N. hominum, creaturarúmque vilissimus, motu proprio, tibi secundum Deum Dominum nostrum Dominatrici Nationum, & Principi Regum, me totum dedo in servum perpetuum. Exspolio me omni meo, si quod habeo, jure, libertate, arbitrio, illúdquè totum in manibus tuis æternaliter depono. Posside me ô Domina, utere, tanquam servum tuum tracta, & exerce. O Domina sic fiat oro, & ne digneris aspernari qualecunque famuli tui obsequium. Sis tu Domina mea æterna, sim ego servus tuus æternus, dum Deus erit Deus, cui honor in sæcula. Amen.

C A N T I C U M
*SS. Ambrosii, & Augustini in laudem B. V. translatum à S. Bonaventura.*

TE Matrem Dei laudamus:

Te Mariam Virginem profitemur.

Te æterni Patris Sponsam omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, & Archangeli.

Tibi Throni, & Principatus fideliter deserviunt.

Tibi omnes potestates, & omnes Virtutes, cœli cœlorum, & universæ Dominationes obediunt.

Tibi

Tibi omnes Chori, tibi Cherubim, & Seraphim exultantes, assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat.

Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix, Mater, & Virgo.

Pleni sunt cœli, & terra, Majestatis gloriæ fructûs ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum Chorus, sui Creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cœtus candidatus, Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum Exercitus, Trinitatis templum appellat.

Te Sanctarum Virginum chorea amabilis, virginitatis, & humilitatis exemplum deprædicat.

Te cœlestis curia Reginam honorat.

Te per orbem universum Ecclesia invocando concelebrat, Matrem Divinæ Majestatis.

Venerandam te veram Regis cœlestis Puerperam; sanctam quoque, dulcem. & piam veneratur.

Tu Angelorum Domina, tu paradisi janua.

Tu scala regni cœlestis, & gloria: tu thalamus, tu Arca pietatis, & gratiæ.

Tu vena misericordiæ: tu Sponsa & Mater Regis æterni.

Tu Templum, & sacrarium Spiritûs Sancti: totius sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix Dei, & hominum: amatrix mortalium.

Tu Agonizatrix pugnantium: Advocata pauperum; Miseratrix & refugium peccatorũ.

Tu erogatrix munerum: Superatrix, ac terror dæmonum, & superborum.

Tu mundi Domina, cœli Regina: post Deum sola spes nostra.

Tu salus te invocantium, portus naufragantium: miserorum

sola-

ſolatium; pereuntium refugium.

Tu Mater omnium Beatorum: gaudium plenum poſt Deum, omnium ſupernorum Civium ſolatium.

Tu promotrix Juſtorum, congregatrix errantium, promiſſio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præconium, & doctrix Apoſtolorum, Magiſtra Evangeliſtarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplar Confeſſorum, honor, & feſtivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei ſuſcepiſti in uterum.

Per te expugnato hoſte antiquo, ſunt aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum filio tuo ſedes ad dexteram Patris.

Tu ipſum pro nobis roga Virgo Maria: quem nos ad judicandum credimus eſſe venturum.

Te ergo quæſumus tuis famulis ſubveni: qui pretioſo Sanguine Filii tui redempti ſumus.

Æternâ fac pia Virgo cum Sanctis omnibus nos gloriâ munerari.

Salvum fac populum tuum Domina: ut ſimus participes hæreditatis Filii tui.

Et rege nos, & cuſtodi nos in æternum.

Per ſingulos dies ô Mater te ſalutamus.

Et laudare cupimus usque in æternum.

Dignare dulcis Maria, nunc: & ſemper nos ſinè delicto cuſtodire.

Miſerere pia nobis: miſerere nobis.

Fiat miſericordia tua magna nobiſcum: quia in te Virgo Maria confidimus.

In te ô dulcis Maria ſperamus; defende nos in æternum.

Te ô Mater Dei! decet laus, imperium: virtus, & gloria in ſæcula ſæculorum. Am.

# OFFICIUM PARVUM
## Pro omnibus Festis
# B. V. MARIÆ.

AD MATUTINUM.

℣. DOmina labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Dei Mater in adjutorium meum intende.
℟. Domina ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, &c.

*Hymnus.*

OMni die, dic Mariæ,
Mea laudes anima,
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima.
Contemplare, & mirare,
Ejus celsitudinem:
Dic felicem genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet:
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.
Hæc persona, nobis dona
Contulit cœlestia:
Hæc Regina, nos divinà
Illustravit gratiâ.
Lingua mea, dic trophæa
Virginis puerperæ:
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sinè fine, dic Reginæ
Mundi laudum cantica:
Ejus dona semper sona,
Semper illa prædica,
Omnes mei sensus ei
Personate gloriam:
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè tam disertæ
Extat eloquentiæ.
Qui condignos promat hymnos
Ejus excellentiæ.
*Antiph.* Magnificat anima mea Dominum, &

&. exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

OMnes laudent, unde gaudent
Matrem Dei Virginem:
Nullus fingat, quòd attingat
Ejus celsitudinem.
Sed necesse (quod prodesse
Piis constat mentibus.)
Ut intendam, quod impendam
Me ipsius laudibus.
Quamvis sciam, quòd Mariam
Nemo dignè prædicet.
Tamen vanus, & insanus
Est, qui illam reticet.
Cujus vita erudita
Disciplinâ cœlicâ,
Argumenta, & figmenta
Destruxit hæretica.
Hujus mores, tanquam flores
Exornant Ecclesiam.
Actiones, & sermones
Miram præstant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
Paradisi clauserat:
Hæc dum credit, & obedit,
Cœli claustra referat.
Propter Evam, homo sævam
Accepit sententiam:
Per Mariam habet viam,
Quæ ducit adPatriam,
Hæc amanda, & laudanda
Cunctis specialiter:
Venerari, prædicari
Illam

Illam decet jugiter.
Ipsa donet, ut, quod monet
Natus ejus, faciam;
Ut finitâ carnis vitâ
Lætus hunc aspiciam.

*Antiph.* Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Concede nos famulos, &c. *ut supr.*

AD TERTIAM.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

O Cunctarum fœminarum
Decus, atque gloria:
Quam electam, & evectam
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuæ laudi
Quos instantes conspicis.
Munda reos, & fac eos
Donis dignos cœlicis.
Virga Jesse, spes oppressæ
Mentis, & refugium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini sacrarium:
Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ.
Dei templum, & exemplum
Totius justitiæ.
Virgo salve, per quam valvæ
Cœli patent miseris:
Quam non flexit, nec allexit
Fraus serpentis veteris.
Generosa, & formosa
David Regis filia.
Quam elegit Rex, qui regit,
Et creavit omnia.
Gemma decens, Rosa recens,
Castitatis Lilium:
Castum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium,
Actionis, & sermonis
Facultatem tribue.
Ut tuorum meritorum
Laudes promam strenuè.
Opto nimis, ut imprimis
Mihi des memoriam,
Quò decenter, & frequenter

Tuam

Tuam cantem gloriam.

*Antiph.* Fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen ejus.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio* Concede nos, &c. *ut supr.*

AD SEXTAM.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

QUamvis muta, & polluta
Mea sciam labia,
Præsumendum, nec silendum
Est de tua glotia.
Virgo gaude, omni laude
Digna, & præconiô:
Quæ damnatis, libertatis
Facta es occasio.
Semper munda, & fœcunda
Virgo tu Puerpera;
Mater alma, velut Palma
Florens, & fructifera.
Ejus Flore, & odore
Recreari cupimus,
Cujus fructu, nos à luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota, sinè nota
Cujuscunque maculæ:
Fas nos mundos, & jucundos
Te laudare sedulè.
O beata, per quam data
Nova mundo gaudia;
Et aperta, fide certa,
Regna sunt cœlestia.
Per te mundus lætabundus
Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes sunt egentes,
Sicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni,
Ut tu prophetaveras.

*Antiph.* Misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Concede nos famulos, &c. *ut supr.*

AD NONAM.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

PEr te, morum nunc pravorum
Relinquuntur devia:

Do-

Doctrinarum perversarum
Pulsa sunt præstigia.
Mundi luxus, atque fluxus
Docuisti spernere:
Deum quæri, carnem teri,
Vitiis resistere:
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio:
Corpus angi, motus frangi,
Pro cœlesti præmio.
Tu portâsti inter casti
Ventris claustra, Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum:
Mater facta: sed intacta
Genuisti Filium,
Regem Regum, atque rerum
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Hostis est versutia:
Destitutis spe salutis
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus,
Cujus Mater crederis:
Increatus, ex te natus,
Nostri salus generis.
Reparatrix, consolatrix
Desperantis animæ.
A pressura, quæ ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar;
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.

*Antiph.* Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Concede nos famulos, &c.

AD VESPERAS.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera:
Et da menti, te poscenti,
Gratiarum munera:
Ut sim castus, & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius:

Eruditus, & munitus
Divinis eloquiis.
Timoratus, & ornatus
Sacris exercitiis:
Constans, gravis, &
suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, &
maturus,
Patiens, & humilis;
Corde prudens, ore
studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum
colens
Pio semper opere.
Esto tutrix, & adjutrix
Christiani populi,
Pacem præsta, ne mo-
lesta
Nos perturbent sæ-
culi.
Salutaris stella maris,
Summis digna laudi-
bus:
Quæ præcellis cunctis
stellis,
Atque luminaribus.
Tua dulci prece fulci
Supplices, & refove:
Quidquid gravat, vel
depravat
Mentes nostras, re-
move.

*Antiph.* Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Concede nos famulos, &c. *ut supr.*

AD COMPLETOR.

℣. Convertat nos Domina, tuis precibus placatus Deus salutaris noster. ℟. Et avertat iram suam à nobis.

℣. Dei Mater in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Virgo gaude, quòd
de fraude
Dæmonum nos libe-
ras,
Dum in vera, & sin-
cera
Carne Deum generas,
Illibata, & dotata
Cœlesti progenie:
Gravidata, nec frau-
data
Flore pudicitiæ:
Nam quod eras, per-
severas;
Dum intacta generas.
Illum tractans, atque
lactans,
Per quem facta fue-
ras.
Commendare me di-
gnare
Christo tuo Filio.
Ut non cadam, sed
evadam

De

De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam.
Contra crimen da munimen,
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat, & obscurat
Mentes sibi subditas,
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio.
Quæ multorum sit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum
Suâ servet gratiâ:
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen, & juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta,
Qui colunt alacriter.

*Ant.* Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Concede nos famulos, &c.

*Commendatio.*

O Maria, Virgo pia,
Mater admirabilis:
Per te, Deus, Judex meus,
Mihi sit placabilis.
O benigna, verè digna,
Multis amatoribus!
In agone, fer coronæ
Præmium victoribus.

*Commendatio sui Beatæ Virgini.*

O Domina mea sancta Maria! me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitûs mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, & consolationem meã, omnes angustias, & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & disponantur opera, secundum tuam, tuíque Filii voluntatem. Am.

# OFFICIUM PARVUM
## De Septem Doloribus
# B. V. MARIÆ

## AD MATUTINUM.

*Gladius à Simeone prædictus.*

℣. EJa mea labia nunc annunciate.
℟. Dolores, & Compassionem Virginis Beatæ,
℣. Domina in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SEptem tuos dolores
Maria, dum considero,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.
Annæ gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quando tibi transfigitur.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

*Oratio.*

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam, beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora passionis tuæ doloris gladius pertransivit. Per te Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

## AD PRIMAM.

*Fuga in Ægyptum.*

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

FUgis Maria, prolis
Onusta charo pondere,
Et luminare solis
De nocte vis abscondere.
Ægyptus est asyli

Locus tuis amoribus;
Juxta fluenta Nili
Liquescis in doloribus.
℣. Tuam ipsius animam, &c.
*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

AD TERTIAM.

*Filii amissio.*

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

IN Patris esse rebus
Cùm nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus
Pallere sicut lilium.
Clamans per angiportus,
Fili! replebas æthera:
Dictura plus, obortus
Dolor premebat cætera.
℣. Tuam ipsius animam, &c.
*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

AD SEXTAM.

*Occursus Christi bajulantis Crucem.*

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

EN fert trabale lignum,
Flagrísque Jesus icitur,
O Mater! Ecce Signum,
Cui porrò contradicitur.
Eheu! Crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus.
Et cor, tibi Parenti
Submergitur doloribus:
℣. Tuam ipsius animam, &c.
*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

AD NONAM.

*Adstat Mater Crucifixo Filio.*

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

CAlvaria, est amoris,
Et est doloris vinea:
Sunt præla vinitoris:
Clavi, & Corona spinea.
Dum fixus est Jesus,
Crucísque calcat torculum.
Amor dolore læsus,
Premit Mariæ corculum,
℣. Tuam ipsius animam, &c.
*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

AD VESPERAS,

*De Cruce depositum Filium gremiô excipit.*

℣. Domina in adjutorium, &c.

*Hymnus.*

MAria, quando petra
Sensu doloris scinditur,
Diésque nocte tetra
Luget, tibi cor finditur.
Depôsta membra lignô,
Sed membra cassa lumine.
Foves sinu benigno,
Lavas doloris flumine.

℣. Tuam ipsius animam, &c.

*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

AD COMPLETOR.

*Planctus Virginis ad Sepulturam.*

℣. Convertat nos Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.

℟. Et avertat iram suam à nobis.

℣. Domina in adjutor. &c. *Hymnus.*

CUm Filiô sepultô,
Lapis sepulchro advolvitur,
Tibi Maria, multo
Dolore vita solvitur.
Sedens ad antra tumbæ,
Mœsto susurro murmuris,
Instar gemis columbæ,
Et plangis instar turturis.

℣. Tuam ipsius animam, &c.

*Oratio.* Interveniat pro nobis, &c.

*Commendatio.*

O Mater! ut, dolorum
Per hanc amaritudinem,
Cœlestium bonorum
Gustem suavitudinẽ;
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero;
Septem tuos dolores
Dum plango, dum considero.

*Planctus B. V. Mariæ.*

STabat Mater dolorosa
Juxta Crucem lachrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam, & dolentem,

Per-

Pertransivit gladius.
O quàm tristis, & afflicta,
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat, cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Christi Matrem, si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis:
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum,
Moriendo desolatum:
Dum emisit spiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum:
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Gnati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero:
Juxta Crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.

Inflammatus, & accensus,
Per te Virgo, sim defensus
In die Judicii.
Fac me Cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animæ donetur
Paradisi gloria.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, nunc, & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam B. V. Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora Passionis tuæ, doloris gladius pertransivit. Per te Jesu Christe Salvator mundi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio ad B. Virginem Mariam, de angustiis, quas habuit, quando Christus in Cruce exspiravit.*

MEmento, obsecro dulcissima Mater, & Domina, illius venerandæ stationis, quâ tuo tam beato Filio adstitisti in Cruce pendenti, & reduc quæso ad memoriam cogitationes cordis tui, & innocentis animæ tuæ angustias, quas tunc habuisti, quando ille Unigenitus tuus, immolatus est in oculis tuis, & recogita, quòd omnia pro peccatoribus tolerare voluit, quorum ego unus sum; ipse enim morte sua meruit, ut essem frater suus. Ergo ne dedigneris piissima Mater, quin & ego sim filius tuus. Ad te hodie unica spes miserorum, confugio, plenus fiduciâ, tibi me ipsum, & omnes necessitates meas, & fideles tuos mihi commissos devotè recomendo; te hodie Matrem, & Patro-

nam

nam præ omnibus eligo, & præopto. Noli ergo piiſſima Mater ſpernere me miſerum peccatorem propter peccata mea nimia, & noli me abjicere à miſericordia tua, propter eum, qui amore mei nudus, & dilaceratus pependit in cruce ante te, ſed reſpicere digneris tuâ dulciſſimâ gratiâ, ſicut te cum Joanne reſpexit Jeſus Filius tuus, Dominus, & Redemptor noſter, qui eſt in ſæcula benedictus. Am.

*Alia ad eandem B. V. Mariam.*

O Puriſſima, nobiliſſima, atque ſpecioſiſſima omnium Virginum, digniſſima Dei Mater Maria! obſecro te per profundiſſimam charitatem tuam, per ſanctiſſimam, caſtiſſimámque puritatem, & per ferventiſſimam humilitatem tuam, pérque omnia dona, virtutes, gratias, quibus ornata es à Deo, ut ſis digniſſima ejus Mater; recipe me in cuſtodiam, & amorem piiſſimi materni cordis tui tanquam filium, licèt indigniſſimum, & impetra mihi tui amorem ſanctiſſimum, atque caſtiſſimum: impetra mihi perfectiſſimam humilitatem, caſtitatem, charitatem, & cæteras virtutes omnes, quibus tu placuiſti Deo. Impetra etiam mihi, ut per ſingularem miſericordiam Filii tui, per merita paſſionis ejus, & per jugem contritionem peccatorum meorum, in hac vita totus purificari merear ab omnibus vitiis, & peccatis meis, ut poſt hanc vitam, ſinè dilatione ad vitam recipiar ſempiternam. Et propterea ô dulciſſima Domina miſericordiæ, impetra mihi, ut ſemper, quæcunque ſuper me triſtitiæ venerint, patientiſſimè, & cum gratiarum actione hic ſuſtineam, & omnes vires corporis, & animæ meæ, omnéque tempus vitæ meæ, in laudem, & gloriam tui

Filii, secundùm ejus perfectissimum beneplacitum expendam. Amen.

*Alia ad B. V. M. & simul S. Joannem Evangelistam.*

O Intemerata, & in æternum benedicta, singularis, atque incomparabilis Virgo, Dei Genitrix Maria! gratissimum Dei templum, Spiritûs Sancti Sacrarium: Janua Regni cœlorum, per quam, post Deum, totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater misericordiæ, aures tuæ pietatis, indignis supplicationibus meis: & esto mihi maximo peccatori, pia, & propitia in omnibus auxiliatrix. O Joannes Beatissime, Christi Familiaris, & amice! qui ab eodem Domino nostro Jesu Christo Virgo es electus, atque inter cæteros magìs dilectus, & in mysteriis cœlestibus ultra omnes imbutus; Apostolus enim, & Evangelista factus es præclarissimus: te etiam invoco cum Maria, Matre ejusdem D. N. Jesu Christi Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris. O duæ gemmæ cœlestes, Maria, & Joannes! ô duo luminaria, divinitus ante Deum lucentia! vestris radiis, scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus Unigenitus Dei Filius, ob sincerissimæ virginitatis meritum, dilectionis suæ confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrûm ità dicens: Mulier, ecce Filius tuus: deinde ad alterum: ecce Mater tua. In hujus ergo sacratissimi amoris dulcedine, qua tunc ore Dominico, velut Mater, & Filius, ad invicem conjuncti estis, vobis duobus, ego miserrimus peccator commendo hodie corpus, & animam meam: ut in omnibus horis, atque momentis, interius, & exterius, fitmi custodes, & pii

pii apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi quæso corporis, & animæ salutem: agite quæso, agite vestris gloriosis precibus, ut cor meum invisere, & inhabitare dignetur Spiritus almus gratiarum largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, & exornet, in dilectione Dei, & proximi mei perfectè stare, & perseverare me faciat, & post hujus vitæ cursum, ad gaudia ducat electorum suorum benignissimus Paraclytus, qui cum Deo Patre, & Filio vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Am.

---

# CULTUS S. JOSEPHI, SS. DEI GENITRICIS SPONSI.

## OFFICIUM PARVUM DE S. JOSEPHO.

AD MATUTINUM.
JESUS, MARIA. JOSEPH.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

Joseph David filius,
Clara stirpe natus,
Jesu Christi Domini
Pater nuncupatus,
Mater Dei Sponsus cœlitus vocatus,
Utriusque Custos cœlo destinatus.



S. IOSEPHUS.

*Ant.* Salve Patriarcharum decus, & Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, qui panem vitæ, & frumentum Electorum conservâsti.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

SAnctissimæ Genitricis tui Sponsi; quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Am.

AD PRIMAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

TU, qui Sponsam gravidam dolens cùm videres,
Cogitabas anxius, an eam retineres:
Sed cœlestis monitor, ne amplius timeres.
In somnis admonuit, ut potiùs gauderes.

*Antiphona.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c

*Oratio.* Sanctissimæ Genitricis tuæ, &c.

AD TERTIAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium &c. *ut suprà.*

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

BEthlehem es profectus, censum soluturus,
Cum prægnante Virgine, ubi nasciturus
Erat mundi Dominus, quique mox facturus,
Ut ipsum infantulum esses amplexurus.

*Antiph.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c.

*Oratio.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

AD SEXTAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut supr.*

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

CUm Herodes impius in pueros sæviret,
Gabrielis monitu, ne amplius dormiret,
Retulisti Sponsæ, sed tecum veniret,
Et acceptô parvulô, in Ægyptum iret.

*Antiph.* Salve, &c.

℣. Ora pro nobis beatissime, &c.

*Oratio.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

AD NONAM.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

HOstibus defunctis, inde recessisti,
Et in Galilæam tecum reduxisti
Puerum, & Sponsam, sicut didicisti
Cœlitus, in Nazareth Humilis vixisti.

*Antiph.* Salve, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Orat.* Sanctissimæ, &c.

AD VESPERAS.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

QUi Jesum, factum duodecim annorũ
Perdidisti, tuum lumen oculorum;
Sed inventum posteà in medio Doctorum,
Custodisti sedulus, Regem Angelorum.

*Antiph.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

AD COMPLETOR.

JESUS, MARIA, JOSEPH.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ut supr.*

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

FElix, quem in ulnis Jesus, cum Maria
Tenuit cubantem, dum in agonia
Spiritum efflares, ut directâ viâ
Tenderes ad Patres, Functus vitâ piâ.

*Antiph.* Salve Patriarcharum, &c.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix, &c.

*Ora-*

*Orat.* Sanctissimæ Genitricis, &c.

*Commendatio.*

HAs horas Canonicas cum attentione
Dixi, Sancte Joseph, tui ratione:
Ut sis memor mei in oratione,
Et vivamus simul in cœli regione. Am.

*Hymnodia de Sancto* JOSEPHO.

SAlve Pater Salvatoris,
Salve Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis.
Salve Sponse Matris Dei,
Salve hospes Jesu mei.
Joseph ter mirabilis,

II.

Dulces cunæ, dulces panni,
Dulces dies, dulces anni,
Dum nutrîsti Dominum.
O quàm fuit admiranda,
Tua vita veneranda,
Habens Dei Filium.

III.

Jesum oculis vidisti,
Et in brachiis tulisti,
O suavis felicitas!
Genis genas admovisti,
Oscula dans accepisti,
O felix suavitas!

IV.

Modò Deum appellâsti,
Modò Regem nominâsti,
Inter mille gaudia:
Modò Patrem adorandum,
Modò Natum adamandum,
Inter mille basia.

V.

Jesum brachiis tenere,
Atque totum possidere,
O quantæ divitiæ!
Cum Maria conversari,
Dei Natum amplexari,
O quantæ deliciæ!

VI.

Quis est homo, qui amare,
Atque Jesulum portare
Nollet suis brachiis:
Nullus est, qui non ambiret,
Et qui cunas non adiret,
Pro tantis deliciis.

VII.

VII.

O mi Joseph plus amande,
Et præ cunctis honorande,
O flos pudicitiæ!
Tibi tanta sors est data,
Quanta nulli est collata,
Ab Auctore gratiæ.

VIII.

O felicem, & beatum!
Custodiri cui est datum
Tuo sub præsidio;
Et qui meruit habere
Te Patronum, & gaudere
Tuo Patrocinio!

IX.

Per Mariæ Tuæ Matris
Preces, & Josephi Patris,
Jesu tu nos adjuva:
Ut possimus te videre,
Et æternum possidere
In cœlesti patria. Amen.

℣. Valde honorandus, & amandus est beatus Josephus.
℟. Inter cujus brachia Dominus accubuit.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui B. Josephum, justum filium David, Beatissimæ Virginis Mariæ Sponsum providisti, & Filio tuo Jesu Christo Nutritium elegisti; da quæsumus; ut ejus precibus, & meritis, tranquilla pace lætemur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## LITANIÆ DE S. JOSEPHO.

KYrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mis.
Spiritus Sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis,
S. Maria, Regina totius mundi, Ora pro nobis.

S.Jo-

S. Joseph B. Virginis Sponse, ora.
S. Joseph in ventre Matris justificate, ora.
S. Joseph à peccato mortali immunis facte, ora.
S. Joseph Patriarcharum culmen, ora.
S. Joseph inter omnes in Virginis connubium electe, ora
S. Joseph ineffabili benedictione donate, ora pro nobis.
S. Joseph, cui Regina cœli ministravit, ora.
S. Joseph Christi Pater vocate, ora.
S. Joseph Christi tutor amantissime, ora.
S. Joseph Christi nutritie fidelissime, ora.
S. Joseph Christi pueri post Virginem adorator prime, ora.
S. Joseph, qui Christum ab Herode liberâsti, ora.
S. Joseph, qui Virginem traducere noluisti, ora.
S. Joseph Christo, & Matri simillime, ora.
S. Joseph Spiritûs Sancti donis abundantissime, ora.
S. Joseph vir Angelice, ora.
S. Joseph, qui monitione Custodis Angeli in Christo curam exercuisti, ora.
S. Joseph, qui ùt Angelus divina oracula retulisti, ora.
S. Joseph, qui ùt Principatus Christum magni consilii Angelum gubernâsti, ora.
S. Joseph, qui ùt Virtus minister Christi fuisti, ora.
S. Joseph Dominationibus major, cui Rex, & Regina cœlorum inserviunt, ora.
S. Joseph, in cujus brachiis, & gremio, tanquam in throno Christus insedit, ora.
S. Joseph, qui ùt Cherubim Virginis paradisi custodiam habuisti, ora.
S. Joseph vir Seraphice, ora.
S. Joseph contemplator altissime, ora.
S. Joseph inter brachia Christi defuncte, ora.
S. Joseph Angelici concentûs auditor, ora pro nobis.

S. Joseph ad limbum Patrum Christi præcursor, ora.
S. Joseph, qui cum Christo inter alios resurrexisti, ora.
S. Joseph, qui corpore, & animâ peculiaribus gloriæ donis frueris, ora.
S. Joseph Patrone, & defensor noster dulcissime, ora.
Per Passionem dulcissimi Filii tui, Exaudi populum tuum Domine.
Per Virginitatem dilectæ Matris Filii tui, Salvum fac populum tuum Domine.
Per fidelitatem Sponsi Josephi, Protege populum tuum Domine.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
*Antiph.* Hic vir despiciens mundum, & terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oratio.*

OMnipotens, & mitissime Deus, qui beatum Joseph, Justum, Filium David, Beatæ Mariæ Virgini, tuæ Matri, Sponsum providisti, & tuum nutritium elegisti, da quæsumus, ut ejus precibus, & meritis Ecclesia tua, tranquilla pace lætetur, & ad perpetuæ visionis tuæ consolationem perducatur. Qui vivis, &c.
℣. Ora pro nobis beatissime Joseph.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oratio.*

VIrginum Custos, & Pater Sancte Joseph, cujus fideli custodiæ, ipsa Innocentia Christus Jesus, & Virgo virginum Maria, in terris commissa fuit, te per utrumque charissimum pignus tuum, Jesum, & Mariam, obsecro, & obtestor, ut me ab omni im-

immunditia præservatum, mente incontaminata, puro corde, & casto corpore, Jesu, & Mariæ semper facias castissimè famulari Am.

*Alia pro animi & corporis puritate conservanda.*

O Sanctissime Joseph! nutritie Jesu Christi, ego humillimus cliens tuus, animi, & corporis mei castitatem singulariter tibi commendo; & rogo te per paternam in Jesu custodiam, & puritatem tuam, ut me eidem Jesu Christo Filio tuo, & Agno immaculato, ejúsque vigilantissimæ Matri, immaculatissimæque virginum Virgini Mariæ commendare digneris, & ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas, me ulla unquam impuritatis labe fœdari: sed cùm primùm in tentatione, & peccandi periculo constitutum me videbis, abige procul à corde meo cogitationes, affectus omnes immundos, & injectâ memoriâ æternitatis, & Christi Crucifixi, imprime mihi medullitus, ô mi Joseph, sensum timoris Domini, & Divini amoris in me ignem accende. Amen.

CUI-



S. ANNA.

# CULTUS SANCTÆ ANNÆ MATRIS B. V. M.

## OFFICIUM PARVUM DE S. ANNA.

AD MATUTINUM.
JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

O Gloriosa Domina,
De cujus Virgo genere,
Cœli regentem culmina
Lactavit sacro ubere.
Quod Eva tristis abstulit,
Redditur partu Filiæ,
Quæ dum salutem protulit,
Cœli fenestra facta est,
Tu Regis alti gratiam
Deposce, atque veniam,
Memoriam colentibus
Tuæ perennis gloriæ,
Gloria tibi Domine,
Ex Annæ nate germine,
Cum Patre, & Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Antiph.* Cœleste beneficium introivit in Annam, ex qua nobis nata est B. V. Maria.
℣. Ora pro nobis sancta Anna.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oratio.*

Deus, qui B. Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii

Filii tui Mater effici mereretur, concede propitius; ut cujus memoriam veneramur in terris, ejus apud te patrociniis adjuvemur in cœlis. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

AD PRIMAM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Deus in adjutor. &c. *ut supr.*

*Hymnus.*

CLara diei gaudia,
Modulizat Ecclesia,
In Annæ Christi famula,
Pandens cœli miracula.

Gloria tibi Domine, &c. *ut suprà.*

*Antiph.* Cœleste beneficium, &c

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c. *ut suprà.*

AD TERTIAM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Deus in adjutor. &c. *ut suprà.*

*Hymnus.*

ALma Regum progenies,
Et Sacerdotum Soboles,
Stirpem illustrem Patribus,
Suis ornavit actibus.

Gloria tibi Domine, &c. *ut supr.*

*Antiph.* Cœleste beneficium, &c

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c.

AD SEXTAM.

JESUS, MARIA. ANNA

℣. Deus in adjutor, &c. *ut supr.*

*Hymnus,*

NUpta Dei judiciô,
Fideli matrimoniô,
Juxta verbum Angelicum,
Fructum concepit cœlicum.

Gloria tibi Domine, &c. *ut supr.*

*Antiph.* Cœleste beneficium, &c

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c.

AD NONAM.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Deus in adjutor. &c. *u. supr.*

*Hy-*

*Hymnus.*

INfœcunda pro tempore,
Propè marcescens corpore;
Decretô Patris luminum,
Parit Reginam Virginum.
Gloria tibi Domine, &c. *ùt supr.*

*Antiph.* Cœleste beneficium, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c.

AD VESPERAS.

JESUS, MARIA, ANNA,

℣. Deus in adjutor. &c. *ùt sup.*

*Hymnus.*

ANna pia Mater ave,
Cujus nomen est suave.
Anna sonat gratiam.
Ave Jesse radix florens,
Quæ cœlestes das odores,
Perennem fragrantiam.
Ave parens stella maris,
Quam tu nuptâ contemplaris
Regis Regum Filio.
Tu, quæ sola meruisti,
Parens esse Matris Christi,
Preces nostras suscipe,
Tu nos Matri, atque Patri,
Regi, ac Reginæ Poli,
Commendare non desine.

*Antiph.* Cœleste beneficium, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c.

AD COMPLETOR.

JESUS, MARIA, ANNA.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

OBtentu suæ Filiæ,
Mariæ plenæ gratiæ,
Nobis authorem omnium
Reddat Anna propitium.
Gloria tibi Domine,
Cum Patre, & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.

*An-*

*Antiph.* Cœlefte beneficium, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Deus, qui B. Annæ, &c.

*Commendatio.*

HAs horas Canonicas cum devotione
Dixi, fancta Anna tui ratione,
Ut fis mihi præfens mortis in agone,
Et vivamus jugiter in cœli regione. Am.

## LITANIÆ DE S. ANNA Matre B. V. Mariæ

Kyrie eleifon.
Chrifte eleifon.
Kyrie eleifon.
Chrifte audi nos.
Chrifte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miferere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miferere.
Spiritus Sancte Deus, miferere nobis,
Sancta Trinitas unus Deus, miferere.
Sancta Anna, ora.
S. Anna Mater Mariæ Virginis, ora.
S. Anna Sponfa Joachim, ora.
S. Anna focrus Jofeph, ora.
S. Anna Arca Noë, ora pro nobis.
S. Anna Arca fœderis, ora.
S. Anna mons Oreb, ora pro nobis.
S. Anna radix Jeffe, ora pro nobis.
S. Anna arbor bona, ora pro nobis.
S. Anna vitis fructifera, ora.
S. Anna Regali ex progenie orta, ora.
S. Anna lætitia Angelorum, ora.
S. Anna proles Patriarcharum, ora.
S. Anna oraculum Prophetarum, ora.
S. Anna gloria Sacerdotum; & Levitarum, ora.
S. Anna nubes rorida, ora.
S. Anna nubes candida, ora.
S. Anna vas plenum gratiæ, ora.
S. Anna fpeculum obedientiæ, ora.
S. Anna fpeculum patientiæ, ora.
S. Anna fpeculum mifericordiæ, ora.

S. An-

S. Anna speculum devotionis, ora.
S. Anna propugnaculum Ecclesiæ, ora.
S. Anna refugium peccatorum, ora.
S. Anna auxilium Christianorum, ora.
S. Anna liberatio captivorum, ora.
S. Anna solatium Conjugatorum, ora.
S. Anna Mater Viduarum, ora.
S. Anna Matrona Virginum, ora.
S. Anna portus salutis naufragantium, ora
S. Anna via peregrinorum, ora.
S. Anna medicina infirmorum, ora.
S. Anna sanitas languentium, ora.
S. Anna lumen cæcorum, ora.
S. Anna lingua mutorum, ora.
S. Anna auris surdorum, ora.
S. Anna Consolatrix afflictorum, ora.
S. Anna auxiliatrix omnium ad te clamantium, ora.
℣. Dilexit Dominus sanctam Annam.
℟. Et amator factus est formæ illius.

*Oratio.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui B. Annam in Genitricis unigeniti Filii tui Matrem eligere dignatus es: concede propitius; ut, qui ejus commemorationem fideli devotione recolimus, ipsius meritis æternæ vitæ suffragia consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.



S ANGELUS CUSTOS.

# CULTUS S. ANGELI CUSTODIS,

Aliorúmque Tutelarium Cœlestium Spirituum.

## OFFICIUM PARVUM S. ANGELI CUSTODIS.

*Oratio præparatoria ante Officium dicenda.*

DEus cújus, providentia humano generi supernorum Spirituum præsidium subministrat; concede, ut Angelum meæ custodiæ deputatum, ità valeam his precibus venerari, ut ejus protectione merear ubique defendi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

AD MATUTINUM.

*Excitat.*

SAncte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c. Alleluja, *Vel*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

NOvo lucis exordio,
O Custos mi dulcissime,
Cæcam mentis caliginem
Tuo splendore discute:
Et me divina monita
Benignus semper edoce.

*Ant.* Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi; observa eum, & audi vocem ejus.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum: & confitebor nomini tuo Domine.

Oremus.

DEus, qui ineffabili providentia ſanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiā mittere dignaris; largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

AD PRIMAM.

*Offert.* Sancte Angele Dei. &c.

℣. Deus in adjutorium, &c,

Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

MEas preces, & lacrymas,
Fidus è cœlo nuncius,
Quamvis indignas excipe,
Et ſummo Patri tradito:
Culpíſque meis debitas
Supplex pœnas avertito.

*Antiph.* Data ſunt ei incenſa, ut adoleret ea ante altare aureum, & aſcendit fumus aromatum de manu Angeli in conſpectu Domini.

℣. In conſpectu Angelorum, &c.

*Oratio.* Deus, qui ineffabili, &c.

AD TERTIAM.

*Solatur.* Sancte Angele Dei, &c.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

AFflictum, clementiſſime,
Favore tuo recrea:
Ad virtutis officia,
Semiſopitum excita:
Cùm ſancto mens in opere
Nutârit, promptus adjuva.

*Ant.* Reverſus eſt Angelus, qui loquebatur in me, & ſuſcitavit me quaſi virum, qui ſuſcitatur de ſomno ſuo,

℣ In conſpectu Angelorum, &c.

*Oratio.* Deus, qui ineffabili, &c.

AD SEXTAM.

*Invitat.* Sancte Angele Dei, &c.

℣. Deus

℣. Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, & Filio, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

DIssolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,
Peccati oppressum onere
Præsenti manu sublevа:
A cœli errantem semita,
Ad cœli viam revoca.

*Antiph.* Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.
℣. In conspectu, &c.
*Oratio.* Deus, qui ineffabili, &c.

AD NONAM.

*Arcet.* Sancte Angele Dei, &c.
℣. Deus in adjutorium, &c.
Gloria Patri, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

INvictâ tuâ dexterâ
Contunde vires dæmonis.
Carnis retunde fomitem,
Mundi frange superbiam,
Ut tuo sub præsidio
Victor ab hoste redeam.

*Antiph.* Benedictus Deus meus, qui misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.
℣. In conspectu, &c.
*Oratio.* Deus, qui ineffabili, &c.

AD VESPERAS.

*Castigat.* Sancte Angele Dei, &c.
℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

FLagellô pigrum excita,
Et reluctantem increpa,
Vitæ labentis terminum
In mentem sæpè revoca:
In vitæ brevi spatio,
Solertiorem facito.

*Antiph.* Et nunc Domine, Dominator cœlorum, mitte Angelum sanctum tuum ante nos, in timore, & tre-

tremore magnitudinis brachii tui.

℣. In conspectu Angelorum, &c.

*Oratio.* Deus, qui in effabili, &c.

AD COMPLETOR.

*Tuetur.* Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c. Alleluja.

*Hymnus.*

IN pugna mortis ultima
Adsis mihi fortissime:
Peracta demum fragili
Vita, Ductor amabilis,
Me protinus æthereis
Infer benigne sedibus.

*Antiph.* Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus, ancillam suam coinquinari.

℣. In conspectu Angelorum, &c.

*Oratio.* Deus, qui ineffabili, &c.

*Commendatio.*

HAs Horas Angelicas cum devotione,
Tibi Christe offerimus pia ratione,
Ut Custodis Angeli intercessione,
Sis nobis solatium mortis in agone. Amen.

SAncti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Amen.

Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege, & guberna. Amen.

*Oratio ad S. Angelum Custodem.*

OBsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, indesinenter protegas, defendas, mundes, & munias me

ab

ab omni incursu diaboli, vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle à me per virtutem Sanctæ Crucis omnem tentationem satanæ, & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum Judicem, ut nihil loci in me habeat. Cúmque per abrupta vitiorum me deviâsse videris, per semitas justitiæ ad Salvatorem meum reducere me satagas. Et in quacunque tribulatione, vel angustia me esse perspexeris, auxilium Dei Omnipotentis, tuo obtentu, & precamine mihi adesse sentiam. Precor te, mi Custos, si fieri potest, notum mihi facias finem meum, diémque obitûs mei. Et cùm de corpore eductus fuero, non permittas me à maligno spiritu terreri, neque in foveam desperationis deduci. Non dimittas me Angelice Spiritus, donec ad visionem ipsius Conditoris mei perducas me; ubi simul ego pro opere, & tu pro custodia, unà cum Beatissima Dei Genitrice Maria, & omnibus Sanctis, Domino adjuvante, lætemur.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

℟. Propterea decorem induit te Deus.

*Oratio.*

Omnipotens, & misericors Deus, qui hominem ad imaginem tuam formâsti, & ei Angelum, & corporis, & animæ custodem tribuisti; concede propitius: Angelo mihi deputato tantum honorem impendere, ut me sua protectione vivificet, & defendat ab omni incursione diaboli, vigilantem, dormientem, orantem, ac divinis officiis tibi servientem, omnibus horis, ac momentis, nec non in hora decessionis meæ Angelos malos à me depellat, bonósque mihi associet, & animam meam ad te (qui verè paradisus es) feliciter perducat. Per

Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

PULCHERRIMÆ Protestationes quinque, directæ ad Angelum Custodem.

*Composita à S. Carolo Borromæo, pro præparatione ad felicem, & sanctam mortem obeundam, quotidie dicendæ.*

*Protestatio I.*

IN Nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs sancti: ego infelix, & miser peccator N. protestor in præsentia tua, ô Angele Dei, assignate mihi à divina Majestate pro ductore, cùm primùm natus sũ; velle, & desiderare me mori in ea sola, vera, & Catholica Fide, quam sancta Romana, & Apostolica tenet, & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam, & uspiam, mortui sunt: nec desidero, diutiùs vivere, quàm placeat Deo meo; cui omnem meam voluntatem integrè & ex toto subjicio.

*Protestatio II.*

PRotestor etiam, ô Angele Dei, desiderare, & velle me sub tua sancta custodia, ac protectione, discedere ex hac vita, cum spe divinæ misericordiæ, sinè ulla titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine, & gravitate peccatorum meorum: certò sciens, ac firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sufficientem futuram fuisse, non solùm, ut me salvaret, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos: si ità placitum fuisset divinæ suæ Majestati.

*Protestatio III.*

SImiliter protestor, ô Angele Sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiæ Redemptoris, & Domini mei Jesu, remissionémque omnium peccatorum

meorum consequi: sciens, quòd ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi, & abominabili, neget, ritè contrito, & confesso, ídque per & propter merita amarissimæ suæ passionis, & mortis, & virtutem pretiosissimi Sanguinis sui pro me indignissimo in ligno Crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ Matris suæ, Virginísque Mariæ, & omnium Sanctorum, & Angelorum.

*Protestatio IV.*

ITerum protestor, sanctissime mi Custos: supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam: etiamsi oportet me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem; dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam æternam.

*Protestatio ultima.*

SAnctissime, & vigilantissime Custos, protestor demum, constituere me te Procuratorem Testamenti, ultimæque voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi à Domino meo Jesu tres gratias Prima est: ut mihi donet unum solum lachrymosum suspiriū, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficacia, & virtute, mitigentur lachrymabiles illi singultus, cordisque pressuræ, & angustiæ, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Mater Dei Maria, dignetur me, vel unico etiam aspectu, ex iis, quos ipsa sub Cruce stans habuit defigendo in unicum Filium suum virgineos oculos; suscipiendo me in eorum numerū, qui ejus precibus, & meritis in die judicii obtinebunt salutem, & vitam sempiternam. Altera gratia est: ut tu

fidelissime Custos meus in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo; ut inveniam benignum Judicem, meritò flagrantissimæ illius charitatis, qua paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Ultima demùm gratia est: ut tu idem piissime Custos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eámque de ergastulo corporis egressam, dexteræ tuæ potentiâ Redemptori meo offeras, ut eum unà tecum, & Sanctis omnibus, in cœli gaudiis videam, perfectè amem, eóque æternaliter fruar, cui sit laus, honor, & gloria in omnem æternitatem. Amen.

*Commendatio, ac Protestatio ad S. Angelum Custodem, manè quotidie facienda.*

BEatissime mi Angele Custos, ego quamvis tuâ sacrâ custodiâ indignissimus, impulsus tamen eximia charitate tua, & zelo illo, quem habes erga salutem animæ meæ, eligo te hodie in præsentia totius curiæ cælestis, pro singulari Protectore, & Advocato meo, firmitérque propono, tibi ad mortem usque fideliter semper obedire. Obsecro te igitur per gloriam illam, qua in cœlo jam frueris, ut acceptes hoc propositum meum, gratum habeas sincerum hunc affectum erga te meum: adsis mihi in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus meis, ut purissimos oculos tuos nunquam offendam, neque divinam Majestatem ad justam contra me iram accendam. Adsis mihi semper, nec deseras me in hora mortis meæ. Amen.

LITANIÆ BREVES.

*De S. Angelo Custode.*

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.

Pater

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mis.
Spiritus Sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, mis.
S. Maria, Regina Angelorum, Ora pro nobis.
S. Angele Custos meus, ora pro nobis.
S. Angele Princeps meus, ora.
S. Angele admonitor meus, ora.
S. Angele Consultor meus, ora.
S. Angele Tutor meus, ora pro nobis.
S. Angele Procurator meus, ora
S. Angele Amator meus, ora pro nobis.
S. Angele Consolator meus, ora.
S. Angele Frater meus, ora pro nobis.
S. Angele Præceptor meus, ora.
S Angele Pastor meus, ora pro nobi[s].
S. Angele Testis meus, ora pro nobis.
S. Angele Adjutor meus, ora pro nobis.
S. Angele Vigil meus ora pro nobis.
S, Angele Negotiato[r] meus, or[a].
S. Angele Intercesso[r] meus, or[a].
S. Angele Suscepto[r] meus, or[a].
S. Angele Gubernato[r] meus, ora
S. Angele Præses meus ora pro nobis.
S. Angele Defenso[r] meus, ora
S. Angele Ductor meus ora pro nobis.
S. Angele Conservato[r] meus, ora
S. Angele Prædicato[r] meus, ora.
S. Angele Illuminato[r] meus, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tolli[s] peccata mundi, [par]ce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exau[di] di nos Domine.
Agnus Dei, &c, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater noster, &c.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis

℣. Domine exaudi orationem meam, &c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ineffabilis bonitatis tuæ consiliô, cunctis Fidelibus ab utero Matris Custodem corporis, & animæ, specialem Angelum deputâsti: concede, ut quem mihi misericorditer tribuisti, sic observem, & diligam, ut gratiæ tuæ munere, illiúsque custodiæ munimine protectus, in cœlesti Patria, vultum gloriæ tuæ cum illo, & cæteris Angelis merear contemplari. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

*Ad Sanctum Angelum Custodem.*

*Oratio.*

SAlve Angele Dei, Princeps nobilissime; mi Custos, & Protector amantissime, salve. Gaudeo, quòd tantam tibi dederit Deus excellentiam, & suâ gratiâ sanctificaverit, in qua, donec gratiam obtineres, perseverâsti. Gratias ago omnipotenti Deo, pro beneficiis in te collatis; tibi verò pro iis, quæ in me confers, & pro amore, ac voluntate, qua me custodis. Commendo tibi hodie, & in perpetuum, corpus, cor, & animam meam, memoriam, intellectum, & voluntatem, appetitus meos, & sensus omnes, ut me custodias, dirigas, protegas, & gubernes; ac simul purifices, & illumines, ac perficias; ità, ut omnibus bonis per te plenus, perseverem semper in gratia, donec simul tecũ Deum meum videam, & eo fruar in gloria. Amen.

*Alia.*

ANgele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie, & quotidie illumina, custodi, & guberna: & doce me exempliô tuô omne id, quod Deus vult, integrè semper, ac promptissimè implere, atque cum æquali gaudio plenè resignatum

tum

tum vivere in omnem voluntatem Dei nostri. Amen.

*Corolla, sive Rosarium Sancti Angeli Custodis sic recitari potest.*

AD *globulos majores dicatur* Pater noster: *ad minores hæc Oratio*: Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna: hodie, & in hora mortis meæ illumina, custodi, rege, & guberna. Am.

*Hymnus ad S. Michaëlem Archangelum.*

TE splendor, & virtus Patris,
Te vita Jesu cordium,
Ab ore, qui pendent tuo,
Laudamus inter Angelos.
Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor crucem
Michaël salutis Signifer.
Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducémque cum rebellibus
Cœlesti ab arce fulminat.
Contra ducem superbiæ
Sequamur hunc nos Principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriæ.
Patri, simúlque Filio,
Tibíque Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæculum per omne gloria. Amen.

℣. Stetit Angelus Domini juxta aram templi.
℞. Habens thuribulum au eum in manu sua.

*Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.*

SUmmæ Sedis Minister: Princeps militiæ cœlestis, & Signifer curiæ supernorum Sancte Michaël, Angele piissime: Archangele placidissime: tibi corpus & animam, tota intentione, tuendam committo: tibi specialiter post Deum, & Dei Genitricem, vitæ, & mortis meæ curam

ram commendo: te hodie, & quotidie, in præsentia totius cœlestis curiæ, pro singulari Patrono, Protectore, & Advocato meo eligo. Obsecro igitur te per gloriam illam, qua in cœlo jam frueris, ut hoc propositum meum, & sincerum hunc affectum erga te meum gratum habeas. O Serve Dei excelsi, S. Michaël! adesto mihi nunc, & semper: at maximè in fine vitæ meæ; ipsum obitum attentiùs tibi comendo: benignè me tunc consolare, conforta, & protege; impetra mihi plenam omnium peccatorum meorum veniam, veram, & profundam humilitatem, & alias virtutes omnes: effice tuis gloriosis precibus, & meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat. Insuper rogo te: ut in novissimo die benignè suscipias animam meã in sinu tuo sanctissimo, & eam comitantibus Angelo Custode meo, & Angelis tuis, ad requiem sempiternam, cum exultatione perducas. Amen.

*Oratio S. Michaëli gratissima, sicut ipse cuidam Episcopo apparens asseruit.*

PRinceps gloriosissime Michaël, Dux cœlestium exercituum: susceptor animarum, Debellator malorum spirituum, Ecclesiæ Dei, post Christum, admirabilis, grandis excellentiæ, & virtutis Rector! omnes nos clamantes ad te, ab omni libera adversitate, & in omni cultu Dei facias proficere, tuo pretiosissimo officio, & dignissima prece.

℣. Ora pro nobis sancte Michaël.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui saluti humanæ naturæ, ex summa clementia tua, gloriosum Michaëlem Archangelum mirabiliter deputâsti; concede propitius, ut

ejus

ejus salutari subsidio hìc mereamur ab omnibus hostibus defendi efficacissimè, & in obitu nostro ab omni tentatione liberari, tuæ excelsæ Majestati beatificè per eum præsentari. Per Christum Dominum nostrum. A.

*Hymnus ad Sanctos Angelos.*

Avete mentes lucidæ,
Nostræ salutis vindices,
Cœlestis oræ nuncii,
Regis superni milites.
Intra Tonantis Regiam
Choros agentes psallitis,
Lyris, melodiis, organis,
Tribunal ante Judicis.
Vos in dracones Tartari,
Bellum cietis perpetim,
Et nos ab orci faucibus
Manu potenti tollitis.
Adeste cœtus candidi,
Adeste tot periculis:
Et nos volatu præpeti,
Inferte cæli sedibus,
Summo Parenti cœlitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto simul Paraclyto,
Sit summa laus, & gloria. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.
℟. Adorabo ad templum sanctum tuum; & confitebor nomini tuo Domine.
℣. Angeli eorum semper vident. Alleluja.
℟. Faciem Patris mei, qui in cœlis est. Allel.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me, licèt indignum, ad imaginem tuam creâsti: & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputâsti; da mihi servo tuo, illius ductu, & custodia, malorum omnium tam animæ, quam corporis pericula feliciter pertransire: & post hujus vitæ curriculum, ad gaudia sempiterna facias pervenire. Per

Do-

Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

LITANIÆ AD SANCTOS ANGELOS.

KYrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mis.
Spiritus Sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis
Sancte Michaël, Ora pro nobis.
S. Gabriel, ora.
S. Raphaël, ora.
S. Angele Custos, ora.
Sancti Seraphim, orate pro nobis.
Sancti Cherubim, orate pro nobis.
Sancti Throni, orate.
Sancti Dominationes, orate pro nobis.
Sancti Virtutes, orate pro nobis.
Sancti Potestates, orate pro nobis,
Sancti Principatus, orate pro nobis.
Sancti Archangeli, orate pro nobis.
Sancti Angeli, orate.
Qui super Dei solium excelsum, & elevatum statis, orate,
Qui jugiter Deo, Sanctus, Sanctus, Sanctus concinitis, orate pro nobis.
Qui discussis tenebris mentem nostram illuminatis, orate.
Qui divina hominibus nunciatis, orate.
Qui hominum custodiam à Deo accepistis, orate pro nobis.
Qui semper faciem Patris, qui in cœlis est, videtis, orate.
Qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis, orate pro nobis.
Qui Loth de medio peccatorum eduxistis, orate.
Qui per scalam Jacob ascendistis, & descendistis, orate.
Qui in monte Sina divinam legem Moysi tradidistis, orate.
Qui Christô natô, gaudium hominibus annuntiâstis, orate.

Qui Christo in deserto ministrâstis, orate pro nobis.
Qui Lazarum in sinum Abrahæ deportâstis, orate pro nobis.
Qui juxta Christi sepulchrum in albis sedistis, orate.
Qui Christo in cœlum ascendente, ejus Discipulis apparuistis, orate pro nobis.
Qui Christum ad judicium venturum cum signo Crucis præcedetis, orate.
Qui electos in fine sæculi congregaturi estis, orate.
Qui malos de medio Justorum separabitis, orate pro nobis.
Qui orantium preces ad Deum defertis, orate pro nobis.
Qui morientibus assistitis, orate.
Qui animas Justorum ab omni labe purgatas ad cœlum deducitis, orate pro nobis.
Qui prodigia, & miracula virtute Dei perpetratis, orate.
Qui hæreditatem salutis capientibus in ministerium mittimini, orate pro nobis.
Qui super Regna, & Provincias constituti estis, orate.
Qui hostium exercitus sæpè dissipâstis, orate.
Qui Dei famulos ex carceribus, & aliis vitæ periculis sæpè liberâstis, orate.
Qui SS. Martyribus in tormentis sæpè solatio fuistis, orate.
Qui Ecclesiæ Prælatos, & Principes, ejusdem nutritios, peculiari cura fovere soletis, orate pro nobis.
Omnes sancti Beatorum Spirituum Ordines, orate.
A cunctis periculis, per sanctos Angelos tuos, Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab omni hæresi, & schismate, libera.
A Peste, fame, & bello, libera.
A subitanea, & improvisa morte, libera.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per sanctos Angelos tuos, Te rogamus.

Ut

Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines protegere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Imperatori nostro N. Regibus, & omnibus Principibus Christianis pacem, & unitatem largiri digneris, Te rogamus.
Ut fructus terræ dare, & conservare digneris. Te rog.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Laudate Dominum omnes Angeli ejus.
℟. Laudate eum omnes virtutes ejus.
℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus.
℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatē ejus.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam, &c.

Oremus.

Beati Archangeli tui Michaëlis commemoratione lætantes, supplices te Domine deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, ejus intercessione consequamur.

Gratiam tuam quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo Gabriele nunciante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus & crucem, ad Resurrectionis gloriam perducamur.

Deus,

DEus, qui per Angelum Raphaëlem, utrumque Tobiam in cunctis periculis liberâsti, præsta quæsumus: ut eodem pro nobis intercedente, Angelico suffragio ab omnibus nos mentis & corporis hostibus tuearis, & ad patriam perducas æternam.

OMnipotens, & misericors Deus, qui nos Angelicâ custodiâ munire dignatus es; concede quæsumus: ut tanta protectione securi, & à pravis cogitationibus liberemur in mente, & ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominúmque dispensas; concede propitius: ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

℣. Domine exaudi orationem, &c.

℣. Benedicamus Domino, &c.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam, &c.

---

# CULTUS
## Aliorum Sanctorum
# PATRONORUM.
## OFFICIUM S. ALEXII.
### CONFESSORIS.

*Invit.* Noli timere fili mi! pauperem quidem vitam gerimus, sed benè nobis erit, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni malo, & fecerimus bene.

### AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum an-

annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

ALexi, gentis unica
In ortu ſpes Quirinæ.
Euphemiani gloria,
Et urbium Reginæ.
Salve ô miles nobilis,
Qui novo bellas aſtu,
Fugiendo Sponſam, redderis
Victor de mundi faſtu.

*Antiph.* In te Domine ſperavi; non confundar in æternum.

℣. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.

℟. Et ponere in Jeſu meo ſpem meam.

*Oratio.*

DEus, qui f lum tuum S. Alexium mirabili modo docuiſti mundum ſpernere, ut relictâ primùm Sponsâ, peregrinus, paternas etiam inter ædes ignotus omnibus, per ſeptemdecim annos abjectus remaneret; præſta quæſumus: ut dum mirificam ejus conſtantiam veneramur in terris, ejus etiam interceſſione ſemper in te uno mi Jeſu gaudeamus in cœlis. Am.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

DUm apparantur nuptiæ,
Plus cœli creſcit amor;
Hinc rapitur, & properè
Solus conſcendit æquor.
Egeſtas, ſponſa ſumitur;
Comes, amor latendi:
Beata mens, quæ tangitur
Hoc ſtudio vivendi.

*Ant.* Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.

℣. Oculi Domini ſuper fideles terræ.

℟. Et ſuper timentes eum gratia ejus.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ut ſupr.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

ELapsus fugâ, tegitur
Mendiculi lacernâ,
Nec amplius distinguitur
Per famulos à Verna,
O alta mens Alexii!
Quæ sic latere quæris:
Pro Christo velle despici,
Quàm rara res in terris!

*Antiph.* Cùm liber essem, omnium me servum feci; mihi vivere Christus, & mori lucrum.

℣. Gaudens gaudebo in Domino meo.

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

*Orat.* Deus, qui famulum, &c. *ùt supr.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

EDessæ tenet littora,
Pauper, mendicus, nudus;
Cujus non tangat viscera
Tam novus iste ludus?
O nova res! ur fœnore
Virtus paretur miro!
Ditissimus cum paupere
Misceri gaudet Iro.

*Antiph.* Ego iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

℣. Justus quasi virens folium germinabit.

℟. Nec contristabit eum, quidquid acciderit.

*Orat.* Deus, qui famulum, &c. *ùt supr.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SEd postquam omni patuit
Tam clara virtus luci,
Ciliciam constituit
Tentare, Pontô duci.
Jam fugerat: cùm vertitur
Adversa vi ventorum,
Portu Quirino sistitur
Hæc cymba tot annorum.

*Antiph.* Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

℣. Læ-

℣. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi.
℟. In domum Domini ibimus.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ut supr.*

AD VESPERAS.

℣. Converte nos Deus salutaris noster, &c.
℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

INgressus urbem, queruli
Ignotus domo Patris
Admittitur, sed pauperi
Cubile fit sub scalis.
Gementem Sponsam aspicit,
Tristésque Matris vultus:
Dolorem tamen supprimit:
Deo patent singultus.

*Antiph.* Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

℣. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.
℟. Dominus autem assumpsit me.

*Orat.* Deus, qui famulum, &c. *ut supr.*

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutor &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SEptemdecim jam viderat
Hac egestate soles,
Queis natum se celaverat
Toties quæsita proles.
Ergo: ut notescat Patriæ,
Calamo consignat vitam;
Recondit illam pectore,
Fideli loco sitam.
Hoc acto: Cœlo spiritum,
Corpúsque reddit terris;
O verum Jesu Filium,
Qui patriam sic quæris!

*Antiph.* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

℣. Quàm bonus Deus Israël his.
℟. Qui recto sunt corde.

*Orat.*

*Orat.* Deus, qui famulum, &c. *ut supr.*

*Commendatio.*

ALexi ô spes unica
Sincerè te amantis!
Da sequi nos vestigia
Æternum jam ovantis!
Has demum preces suscipe,
Vota tui Clientis,
Malísque cunctis eripe,
Periculísque mentis,
Da vana cuncta spernere,
In Jesu nos gaudere,
Jesu, te diligere,
Nec aliud avere.
Amen.

---

# CULTUS SANCTI JOANNIS NEPOMUCENI,

## Seu Officium Parvum DE SANCTO JOANNE NEPOMUCENO.

*Pœnitentium, & Famâ Pericli*[t]*antium Patrono.*

SAnctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth! pleni sunt cœli, & terra gloriâ tuâ.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies, &c.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

ORbi Nepomucum dedit;
Te Joannes suum credit.
Patronum Bohemia!
In qua tuæ pietatis,
Admirandæ Sanctitatis
Coruscant insignia.

℣. Do-



S. IOANNES NEPOMUCENUS.

℣. Domine ne elongaveris auxilium tuum à me.
℟. Ad defensionem meam conspice.

*Oratio.*

DEus, cui soli debetur omnis honor, & gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni. Te suppliciter exoro, ut omnem infamiam, & confusionem publicam undecunque mihi impendentem misericorditer avertere digneris, & concede, sic uti honore temporali, ut æternam confusionem evadere, & in cœlesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui ab æterna confusione, ignominiosa morte Crucis nos redemit, & nunc tecum vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

*Hymnus.*

DEI Mater impetravit,
Quòd sis, mirè procuravit,
Natus thoro sterili.
Flammæ Cœli confirmârunt;
Prolem Sanctam Te monstrârunt:
Signo non fallibili.

℣. Ad te Domine levavi animam meam.
℟. Deus meus in te confido, non erubescam. *Oratio ut supr.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel:* Laus tibi Domine, Rex &c.

*Hymnus.*

VIx Sacerdos ordinatus,
Es ferventer mox zelatus
Solam Dei gloriam.
Divinum semen sparsisti,
Populos post te traxisti
Per miram facundiam.

℣. Custodi animam meam, & erue me.
℟. Non erubescam quoniam speravi in te.

*Oratio ut suprà.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, Rex &c.

*Hymnus.*

TE Reginæ Confessorem,
Virtus fecit, & Censorem
Mirandæ prudentiæ:
Ab hac Pater vocitatus,
Unus suæ declaratus
Testis conscientiæ.

℣. Suscipe me Domine secundùm eloquium tuum.

℟. Et non confundas me ab expectatione mea.

*Oratio ut suprà.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, &c.

*Hymnus.*

SÆvus, piger Imperator,
Malorum clarus patrator
Pollicetur pessima.
Ni, quæ dixit Sacramento,
Tu propales in momento
Uxoris peccamina.

℣. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

℟. In justitia tua libera me.

*Oratio ut suprà.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, &c.

*Hymnus.*

ARcanum custodivisti,
Ob quod lætus subivisti
Tormentorum genera.
Aquis tandem suffocatus:
Effectus, quòd sis beatus:
Prodiderunt sidera.

℣. Intende animæ meæ, & libera eam.

℟. Propter inimicos meos eripe me.

*Oratio ut suprà.*

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c. Alleluja. *Vel*, Laus tibi Domine, &c.

Hy-

*Hymnus.*

TUmulatus, nunc quiescis,
Et in dies illucescis,
Præclaris miraculis.
Es certus famæ Patronus;
Nos à malæ famæ pronus,
Defendas periculis.

℣. Domine non confundar.
℟. Quoniam invocavi te.

*Oratio ùt suprà.*

*Commendatio.*

SUscipe, quas dedimus, Joannes Beate,
Tibi preces supplices; noster Advocate!
Fieri, dum vivimus, ne sinas infames,
Et nostros post obitum cœlo infer manes.

*Orationes devotæ ad S. Joannem Nepomucenum. Oratio I.*

OMnipotens, & misericors Deus, concede propitius, ut, qui in merita Divi Joannis Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione ab omni infamia, & confusione publica, tam temporali, quàm æterna, hujus, & alterius vitæ, & vel maximè ex imminenti tali NN. per piissimam misericordiam tuam, eruamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui nos redemit per infamem mortem Crucis: & qui tecum gloriosus vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti, Consolatoris mœstorum, Deus, nunc, & in æternum. Amen.

*Oratio II.*

DEus cordis mei, sinè cujus nutu nec capillus quidem de capite nostro perit; Te per gloriosa merita fidelis tui servi Joannis Nepomuceni (qui de ponte Pragensi in Moldavam dejici, & mergi maluit, quàm sacrosanctum Confessionis Sigillum Regi revelare) suppliciter oro, ut in hoc tibi noto honoris mei manifesto periculo, mihi pro benignitate tua subvenire, méque ab omni confusione, ac infamia eruere digneris, ne gaudeant

super me inimici mei: sic per preces S. Joannis Nepomuceni spero, sic in tua misericordia confido, Deus, qui es benedictus in sæcula. Amen.

*Oratio. III.*

SAncte Joannes Martyr, ac Patrone Nepomuci in Bohemia oriunde, Templi S. Viti, in Arce Pragensi Canonice; eò, quòd ad instantiam Wenceslai IV. Regis, (ulcisci de conjuge, sæpè illum de vita corrigenda monente, volentis) ante, & post torturam, Confessionem Augustæ propalare recusavisti, in flumen Moldavam, ex ponte præcipitatus, à luminibus, noctu supra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certissimis tuæ innocentiæ, & sanctitatis testibus, ostensus, solemniter ab universo Clero, ac populo, ad Cathedrale Templum deportatus fuisti, ubi usque hodie, qui tuum sepulchrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non solent. Tu ergo admirandam, inauditam, ac sempiternam memoriam secreti exomologeseos, post te reliquisti; per hæc tua merita, & dona divinitùs tibi concessa, precamur suppliciter, ac fiducialiter, apud Omnipotenrem Deum eam nobis impetra gratiam, ut ira ejus conquiescat, peccatorum pœnas, utì pestem, bellum, famem, aliásque tam corporis, quàm animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis satisfacere, omne periculum, & sæculi dedecus, hominum scandalum effugere, Deo placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire possimus. Per Jesum Christum Dominum, ac Salvatorem nostrum. Amen.

*Hymnus ad SS. Apostolos Petrum, & Paulum.*

BEate Pastor Petre, clementer accipe

Voces

# Litaniae
## de S. Joanne Nepom:

Kirie elejson, Christe elejson, Kirie elejson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos
Pater de coelis Deus Miser.
Fili Redemptor mundi Deus
Spiritus S. Deus. Miserere
S. Trinitas unus Deus.
S. Maria.
S. Dei genitrix.
S. Virgo Virginum.
S. Joannes Nepomucene
S. J. Lacrimis et precibus servum tuorum parentum ad B. M. V. fusis nate.
S. J. Visibili corusca luce in natali tuo a coelo honorate
S. J. Unigenite sola tium et gaudium tuorum parentum.

Ora pro nobis.

S. I. Impiger S. Altaris
" Vir Apostolice.
" Lumen Eclesiae Pragensis.
" Speculum et Norma Confessariorum.
" Elemonasarie liberalissime.
" Refugium pauperum.
" Consolator aflictorum.
" Expugnator hæresum.
" Tuba legis Evangelicæ.
" Dignitatum et honorum contemptor.
" A teneris unguiculis ardentissime Mariophile.
" Orator eloquentissime.
" Predicator zelosissime.
" Multos ad penitentiam convertens.
" Sanctimoniæ prototypon.

Ora pro nobis.

S. J. Vas puritatis mundissimum.–

- Rosa patientiæ.–
- Spiritu prophetico imbute.–
- Sigilli confessionis Sacramentalis Custos invictissime.
- Ad frangendum hoc Sacrum sigillum frustra blanditiis, et minis solicitate.
- Ante post torturam Confessionem augustæ propalare recusans.–
- Eligens potius mori, quam minima Confessionis secreta prodere.–
- In tormentis perferendis patientissime et constantissime.

Ora pro nobis.–

S. J. Ad mortem te san-
cte semper disponens.
Illatas tibi injurias
patienter ferens. –
Martyrii cupidissi-
me. –
Ob sigillum S. Confessio-
nis integre servatum,
in Moldavam flumen
praecipitate. –
Martyr Dei inclite.
Post mortem lumi-
nibus, noctu supra
aquam juxta corpus
tuum coruscatione
a Deo manifestate.
Cujus sepulchrum
miraculis gloriosum.
Bohemorum Tau-
maturge et Patrone.
Nobile depositum
Urbis Pragensis.
Agnus Dei, etc.

Patrone singularis famae periclitantium.

Ora pro nobis.

Kirie eleison, etc.
Pater noster et Ave M.
V. Ora pro nobis B. J. N.
R. Ut Digni etc.

Oremus.

Adesto Dne precibus nostris, quas in memoriam B. J. N. Confessoris fundimus, ut Ejs intercessione et meritis ab infamia, et temporali decidio liberati, ante obitum confessi et poenitentes, ad aeternae beatitudinis portum venire mereamur. Per Christu D. N. Amen.

Oremus. Omnipotens.
Vide folio 219.

Oremus.

O Sancte Joannes Nepomucene Patrone mi, veneror te in gloria Coelesti

aurea corona immortalitatis unnictum, et inter filios Dei computatum. - Simul etiam ad te confugio, orans suplex: ut me Tibi a Divina bonitate commissum, hodie tota intentione mea tuo patrocinio protegas, et a pudore mundano custodias. - Amen.

Oremus. Deus cordis mei sine cujus nutu, vide folio 219. -

Oremus Sancte Joannes Martyr, ac Patrone Nepomuci, etc, Vide folio 220. -

Amen. -

Finis.

# Koronka.

## do Matki Boskiéj.

Pomnij o Najlitościwsza Panno Maryo, że od wie-
ków nie słyszano, ażeby kto
oddając się pod Twoją obronę
Twojej pomocy wzywając, Cie-
bie o pomoc prosząc, miał
być od Ciebie opuszczony.
Ta ufnością ożywiony o
Panno nad Pannami, i
Matko biegnę do Ciebie, przy-
stępuję do Ciebie, ustawam
przed Tobą wzdychając jako
grzeszny. — O Matko Sło-
wa przedwiecznego nie
gardź prośbami moimi,
ale je usłysz łaskawie,
i wysłuchaj. Amen. —
Przez Twoje niepokalane
poczęcie oczyść ciało i du-
szę moją. Amen.

Trzy Zdrowaś i Chwała Ojcu
Dwanaście razy.

O Maryo bez grzechu poczęta módl się za nami, którzy się do Ciebie uciekamy.–

1. Przez Twoje Święte niepokalane poczęcie, i.t.d.
2. Jezus, Marya, Józef Wam oddaję ciało, serce, i duszę moją. Amen.–
3. Jezus, Marya, Józef bądźcie przy mnie w ostatniej chwili skonania mojego.–
4. Jezus, Marya, Józef! niech w przytomności Waszéj, dusza moja w pokoju z ciała wyjdzie.–
5. Niech będzie pochwalone, Święte i niepokalane Poczęcie, Panny Maryi. Amen.–

228

Voces precantium, criminúmque vincula
Verbo resolve; cui potestas tradita
Aperire terris cœlum, apertum claudere.
Egregie Doctor Paule, mores instrue,
Et nostra tecum pectora in cœlũ trahe;
Velata dum meridiem cernat Fides,
Et solis instar sola regnet charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quæ gubernat omnia,
Per universa æternitatis sæcula. Amen.

*Antiph.* Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.

℣. Gregem tuum Pastor æterne non deseras.

℟. Sed per beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.

Oremus.

DEus, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & Coapostolum ejus Paulum tertiò naufragantem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur.

DEus, qui multitudinem gentium Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da, nobis quæsumus; ut cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

*Hymnus de S. Joanne Baptista.*

ANtra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petîsti;
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.
Præbuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes:
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Cæteri tantùm cecinêre Vatum
Corde præſago, jubar affuturum:
Tu quidem mundi ſcelus auferentem
Indice prodis.
Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas ſæcli meruit lavantem
Tingere lymphis.
Sit decus Patri, Genitæque proli,
Et Tibi compar utriusque virtus
Spiritus, ſemper Deus unus omni
Temporis ævo.
Amen.

*Antiph.* Priusquam te formarem in utero, novi te: & antequam progredereris, ſanctificavi te.

℣. Iſte puer magnus coram Domino.

℞. Nam & manus ejus cum ipſo eſt.

Oremus.

DEus, qui præſentem diem honorabilem nobis in B. Joannis nativitate feciſti, da populis tuis ſpiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium, &c.

*Hymnus ad S. Joannem Evangeliſtam.*

DIſcipule Jeſu dilecte,
A pectore Chriſti protecte,
Sub Cruce in Fratrem electe,
Mariæ in natum evecte:
Qui omnes Tyranni furores,
Et horridos Pathmi rigores,
Pro Domino exul viciſti,
Qui cœli arcana vidiſti,
Et Agnum in throno plaudentem,
Signacula ſeptem ſolventem,
Ut panderet orbi futurum
Et bonis, & malis incurſum.
Da quæſo, nos ità te ſequi,
Ut quando in Judicis æqui

Per-

Personam mutabit se
Agnus,
Sit omnibus nobis
benignus. Amen.

*Antiph.* Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit; Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.

℟. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Oremus.

ECclesiam tuam, Domine, benignus illustra; ut B. Joannis Apostoli tui, & Euangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum, &c.

*Hymnus de S. Stephano Proto-Martyre*

INvicte Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus.
Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ repellens tædium,
Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi
Dono superni Numinis.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Antiph.* Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat signa magna in populo.

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

Oremus.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus, & inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Je-

Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.

*Hymnus de SS. Innocentibus.*

SAlvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palmâ, & coronis luditis.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

*Antiph.* Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum, quocunque ierit.

℣. Herodes iratus occidit multos pueros.

℟. In Bethlehem Judæ, civitate David.

Oremus.

DEus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica: ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad SS. Tres Reges,*

CRudelis Herodes, Deum
Regem venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.
Ibant Magi, quam viderant
Stellam sequentes præviam;
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lavacra puri gurgitis
Cœlestis agnus attigit:
Peccata, quæ non detulit,

Nos

Nos abluendo ſuſtulit.
Novum genus potentiæ,
Aquæ rubeſcunt hydriæ,
Vinúmque juſſa fundere,
Mutavit unda origi nem.
Jeſu tibi ſit gloria,
Qui apparuiſti gentibus,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

*Antiph.* Magi videntes ſtellam, dixerunt ad invicem: hoc ſignum magni Regis eſt: eamus, & quæramus eum, offeramus ei munera: aurum, thus, myrrham. Alleluja.

℣. Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent.

℟. Reges Arabum, & Saba dona adducent.

Oremus.

DEus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus ſtella duce revelâſti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, ùsque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eundem Dominum, &c.

*Hymnus ad Sanctum Sebaſtianum.*

SEbaſtiane, Martyrum,
Et gemma Chriſti militum!
Cui fuére ſpicula
Pennæ ad beata gaudia:
Oculo fideli reſpice
Contagionis tempore,
Et ſanitatis impetra
Tibi dicatis tempora.

*Ant.* O Magne fidei Martyr S. Sebaſtiane, miles Beatiſſime, cujus meritis, & precibus tota Patria Lombardiæ, à mortifera peſte fuit liberata; intercede pro nobis ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ut nos tuo Beato interventu ab ipſa peſte Epidemiæ, ab improviſa morte, & ab omni adverſitate corporis, & animæ liberare, & defendere dignetur, donétque nobis tantum vitæ ſpatium, & tantam emenda-

dationem peccatorum nostrorum, ut post hoc exilium sacris tuis precibus cum Christo collætemur.

℣. Ora pro nobis S. Martyr Sebastiane.

℟. Ut mereamur pestem Epidemiæ illæsi pertransire, & promissionem Christi obtinere.

Oremus.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: ut intercedente B. Sebastiano Martyre tuo, & à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente.

Deus, qui concedis S. Martyris tui Sebastiani memoriam solemniter celebrare: da nobis pariter in æterna beatitudine in ejusdem societate gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Hymnus ad S. Rochum Confessorem.*

AVe Roche sanctissime,
Nobili natus sanguine,
Crucis signatus schemate,
Sinistro tuo latere,
Tu, qui profectus peregrè,
Pestifera tactus lue,
Plus quàm arte Angelica
Ope sanâsti cœlica.
Numinis in præsentia
Nostra nunc serva corpora,
Et crucis per subsidia,
A peste mundum libera.

*Antiph.* O quàm magnificum est nomen tuum, beate Roche! qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nôsti salvare, & omnibus salutare tuum gloriosum commemorantibus, te propitium exhibere: Veni, & sana nos à morbo Epidemiæ, aërísque temperiem nobis concede.

℣. Ora pro nobis Sancte Roche.

℟. Ut mereamur præservari à peste Epidemiæ.

Oremus.

DEus, qui per B. Rochum singulare

re nobis contra pestem potentis tuæ dexteræ præsidium promisisti: præsta quæsumus, ut qui ejus memoriam pia devotione recolimus, ejus quoque intercedentibus meritis, ab omni tum animæ, tum corporis, mortifera lue præservemur. Per Dominum nostrum Jesum &c.

*Hymnus ad D. Franciscum Seraphicum.*

FRancisce pauper, humilis,
Plus millies amabilis,
Tibi Patrono supplicis
Appendo vota pectoris.
Ave, tuorum gaudium,
Toparcha magne Cœlitum,
Patientiæ miraculum,
Et pauperum solatium.
Lodice tectus paupere,
Et fune cinctus corpore,
Deum modestè vulneras,
Dum sic amantem provocas.
En ipse Jesus propria
Offert amoris vulnera,
Tuóque quino stigmate,
Signatus est in corpore.
O vis amoris maxima!
Quàm blanda sunt hæc vincula.
Quibus Deus mortalibus
Vult illigari cordibus.
Tu magne, & ardens Seraphim,
Tanto fac æstu perpetim,
Succendar in purissimas
Æterni amoris flammulas.
Hoc igne colliquescere,
Et pectus hoc consumere,
Fac millies amabilis,
Francisce pauper, & humilis.

*Ant.* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oremus.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum, &c.

*RESPONSORIUM S. Bonaventuræ AD S. ANTONIUM de Padua.*

SI quæris miracula; mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani.

Pereunt pericula, cessat & necessitas: narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani.

Cedunt mare, vincula; membra, résque perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in Principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Cedunt, mare, vincula; membra, résque perditas, petunt, & accipiunt juvenes, & cani.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

ECclesiam tuam Deus, B. Antonii Confessoris tui deprecatio votiva lætificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui mereatur æternis.

Interveniat quæsumus Domine apud te pro nobis intercedendo sanctus, & gloriosus tuus Confessor Antonius, quem innumeris maximorum miraculorum donis, & gloriâ sublimâsti. Per Dominum nostrum. &c.

℟. Amen.

*Hymnus ad S. Ferdinandum Episcopum Calatinum.*

O Mi dulcis Ferdinande,
Mi Patrone venerande;
Qui relictâ creaturâ,
Soli Deo fide pura,
Tam sincerè servivisti,

Te

Te ſic totum impendiſti,
Ut illi ſoli viveres!
Cui pompa mundi, vapor;
Cui latere, ſummus honor;
Cujus meta, Dei favor;
Cujus votum, cœli amor;
Cui pro Jeſu mori, vita;
Cujus ſpes in Deo ſita;
Cui pati, gaudium.
Da, quam dedi Deo pridem,
Servem corde jugi fidem:
Da, ut meus honor Jeſus,
Ut ſit meus amor Jeſus.
Et quæ agam in hac ſcena,
Sint amore Jeſu plena,
Vita, mors, & omnia.

℣. Ora pro nobis S. Ferdinande.

℟. Ut Deo ſerviamus ſincero pectore.

Oremus.

EXaudi quæſumus, Domine preces noſtras, ut Beati Ferdinandi Confeſſoris tui atque Pontificis veneranda memoria devotionem nobis augeat, & ſincerum tui amorem in nobis accendat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

*Hymnus ad S. Leopoldum Marchionem Auſtriæ.*

LEopolde Sancte Marchio;
Pretioſe cœli unio!
Qui eras vita Angelus,
In carne verò ſpiritus:
In Deum raptus perpetim,
Amoris æſtu Seraphim,
Qui eras norma Principum,
Rarum exemplar divitum:
Fulcrum veræ Eccleſiæ,
Protector Dei gloriæ;
O amator tuæ Auſtriæ!
O populi deliciæ!
Accende in noſtris cordibus,
Et ſingulorum mentibus
Sanctum amorem Numinis,

Et juge votũ ætheris;
Ut quidquid eſt æthereum,
Amemus in perpetuum. Amen.

*Antiph.* Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Oremus.

DEus, qui B. Leopoldum à ſæculi curis ad cœleſtem gloriam transvexiſti: concede quæſumus, ità nos per hæc temporalia pertranſire, ut æternæ vitæ conſortes effici mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.
℟. Amen.

# CULTUS SS. PATRONORUM REGNI HUNGARIÆ.

*Hymnus ad S. Stephanum, primum Regem Hungariæ:*

COlumna ſacræ fidei, decus Panoniæ,
Rex Sancte Stephane!
Per quem purpurei flores Eccleſiæ,
Et virent animi fœcundo germine.
O Chriſtiani populi dulces deliciæ,
Sol ſereniſſime!
Qui fœdas Tænari fugâſti tenebras,
Et ſanctas fidei dediſti faculas.
Tibi coronam cœlitus delatam, ſinguli
Gaudemus ſubditi:
Felices animi, qui parent Stephano,
Beatum obſequi eſt tali Domino:
Solatium Pannoniæ, devotè ſupplicum
O patrocinium!
Per te confidimus æterna conſequi,
Quæ ſolum petimus, trophæa ſolii. Amen.

*Ant.*

*Ant.* Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: ingredere in requiem meam, quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oremus.

CОncede quæsumus Ecclesiæ tuæ Omnipotens Deus, ut Beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cœlis. Per Dominum nostrum, &c.

*Hymnus ad Sanctum Ladislaum.*

LAdislae, quæso, totis,
Te laudare possim votis;
Quem sublimem terrâ, pias
Inter preces, cœli vias
Meditatum veneror:
Qui in saxa converti
Aurum sparsum, dum vidisti
Illud jaci, ut salvaret
Fugâ se, & inescaret
Hostis tuos milites;
Quem post fata Varadinum,
In paratum terræ sinum,
Currus liber à vectore
Vi miranda transtulit:
Da, ut in hac lachrymosa
Valle, tua gloriosa
Facta sequar, & post mortem
Tecum paris vitæ sortem
Æviternam consequar.

*Antiph.* Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oremus.

DEus, qui beatum Regem Ladislaum Confessorem tuum, diversis decorâsti miraculis: præsta quæsumus,

ſumus, ut ejus ſuffragantibus meritis, ab omnibus ſemper muniamur adverſis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum noſtrum, &c.

*Hymnus ad S. Emericum Ducem Hungariæ:*

EMerice, caſtum lilium,
Flos illibate Pannonum;
Qui puritatis vinculô
Te liberâſti ſæculô,
Et intuliſti floridis
Juſtitiæ areolis:
Me ſerva quoque liberum
Ab omni ſorde ſcelerum;
Ne mentem meam inquietet,
Quodcunque Deo diſplicet.

*Antiph.* Ecce puer meus electus, quem elegi, poſui ſuper eum ſpiritum meum.

℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioſo.

Oremus.

DEus, qui Beatum Emericum juvenili flore nitentem, in Sanctorum tuorum conſortium ſublimâſti: præſta quæſumus; ut quem tibi feciſti eſſe devotum, ejus apud te perpetuum ſentiamus auxilium. Per Dominum, &c.

*Hymnus alius ad S. Emericum, Innocentiæ, & Caſtimoniæ Patronum.*

O Luce purâ purior
Lux alma puritatis;
Emerice ſole pulchrior,
Fulgore caſtitatis.
Tuos reviſe Pannonas
Ardore charitatis,
Docéque leges priſtinas
Amare veritatis.
Tu primæ Gentis Phoſphore,
Ad Cœlites volâſti,
Patriósque fines proſperè
Virtutibus beâſti
Concede te precantibus
Dux alme caſtitatis,
Æterna Regna mentibus
Spectare claritatis.
Paterna dum te gratia
Connubiis adornat,

Re-

Retundis hæc fallacia,
Quæ mundus omnis optat.
Inter pudicos cardines,
Cupidinem cremâsti;
Carnis premens libidines,
Ad lilia evolâsti.
Ne quâ per artus serperet
Orcinianus hostis,
Florémque mentis carperet
Avernus ille postis;
Flagris premis corpusculum,
Et vepribus coronas;
Ceu vere primo flosculum,
Novo virore donas.
In flore flos prosterneris,
Emerice caste belle;
Qui labe nulla tingeris:
O pure cœli ocelle!
Ne vanitates haurias,
Subduceris procellis:
Preces tuorum exaudias,
Pacémque mitte cœlis.
Virgo, Maritus, Angelus,
Flos plene gratiarum:
Cœlo triumphans bajulus
O mille laurearum!
Nos sospitatos protege
A peste, fame, bello.
Dextrámque clemens porrige,
Ah! mortis in duello.
Tu, qui supremo Numini
Vovisse castitatem
Gaudes, sacræque Virgini
Dicâsse puritatem;
Nos labe culpæ liberos,
Serva tuos clientes;
Adversùs orci Cerberos
Castas tuere mentes.
Fac inseramus floridis
Tecum poli viretis,
Florem sacrandum candidis
Perennè lilietis. Am.

Oremus.

Deus innocentiæ Dator, ac Restitutor, qui S. Confessorem Emericum, mirabili vitæ candore; ab ipsa adolescentia illustrâsti; concede famulis tuis, acceptam innocentiæ stolam, culparum sordibus non polluere, & à contractis jam maculis, jugibus lachrymis emundare. Per

Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

*Hymnus ad S. Adalbertum Epiſ. & Mart.*

SAlve Pater pauperum,
Margarita Principum,
Speculum Antiſtitum,
Gemma Chriſti pugilum.
Qui pro Ducis gloria,
Trinâ ictus lanceâ,
Inter ſacrificium'
Reddiſti ſpiritum;
Da mihi labilium
In extrema temporum
Hora, dilectiſſimum
Invenire Dominum.

*Antiph.* Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt.

℣. Judicabit Dominus populum ſuum, Alleluja.

℟. Et in ſervis ſuis conſolabitur Deus, Alleluja.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die B. Adalbertum Martyrem tuum, atque Pontificem, meritô Paſſionis ſanctis ſociare dignatus es; tribue quæſumus, ut per ejus exempla ad patriam perveniamus æternam. Per Dominum noſtrum, &c.

*Hymnus ad Sanctum Georgium.*

GEorgi, Martyrum Heros fortiſſime,
Trifaucem cerberum, cui datum vincere,
Dum ſtygem domitis calcare faucibus,
Virtute nobilis tentavit animus.
In vota annue: ô gemma martyrum,
Cùm bella tempore fatali criminum
Indicit Tartarus, ut vincat ſcelere,
Ne cadat animus devictus crimine. Am.

*Antiph.* Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat ſupra firmam petram.

℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioſo.

Ore-

Oremus.

DEus, qui nos B. Georgii Martyris tui meritis, & intercessione lætificas, concede propitius, ut, qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad S. Joannem Eleemosynarium.*

JOannes bone pastor,
tuíque gregis amor,
Salve ô verum speculum, cunctorum præsidium;
Tu tristi jubilus, tu claudo baculus,
Tu cœco lumen, sitienti flumen,
Afflicto gaudium, tu Pater Pauperum.
O fac, ut sequamur tua vestigia,
Et ità consequamur æterna gaudia.

*Ant.* Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.
℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oremus.

EXaudi, quæsumus, Domine preces nostras, quas in Beati Joannis Eleëmosynarii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: &, qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad S. Martinum Episcopum.*

ISte Confessor, Domini colente:
Quem piè laudant populi per orbem,
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sinè labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.
Cujus ob præstans meritum, frequenter
Ægra, quæ passim jacuêre membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi Chorus obsequentem
Concinit laudem, celebrésque Palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli solio coruscans
Totius mundi seriem gubernat
Trinus, & unus.
Amen.

*Antiphona.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur, Martinus hìc pauper, & mendicus, cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur.

℣. Sacerdos Dei Martine, pastor egregie.

℟. Ora pro nobis Deum semper & assiduè.

Oremus.

DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus; concede propitius; ut intercessione Beati Martini Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad S. Henricum Imperatorem.*

*Qui effecit, ut S. Stephanus I. Rex Hungariæ ferè cum toto suo Regno fidem susceperit.*

O Henrice decus Regum!
Imperator maxime!
Divinarum custos legum,
Et zelatot gloriæ.
Per amorem, quo sprevisti
Sceptra, fasces, solium,
Illibatus dum vixisti
Velut castum lilium.
Cum dilecta Cũnegunde
Conjuge, & Virgine,
Fac nos quoque tam jucundè,
Tam beatè vivere.
Ut, qui modò separamur
In hac vita misera,
Ibi tecum uniamur
Per æterna vincula.
Amen.

*Antiph.* Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum.

℣. Iste

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi.
℟. Et pervenit ad cœlestia regna.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris; quas in Beati Henrici Confessoris tui solemnitatē deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum, &c.

*Devotio ad S. Judam Thaddæum Apostol.*

*Antiphona.* Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi, quasi Mater honorificata. *Eccl* 25.
℣. Sancte Juda Patrone fidelissime.
℟. Placato nobis Deum clementiæ.

Oremus.

DEus, cujus bonitas, & clementia exhauriri non potest, aures benignitatis tuæ, famulorum, famularúmque tuarum precibus inclina, & præsta: ut omnes, qui te in Apostolo tuo Juda Thaddæo devotè recolunt, meritis ejus efficacibus petitionis suæ effectum consequantur. Amen.

*Oratio ad S. Judam.*

℣. Sancte Juda ora pro me.
℟. Et omnibus, qui colunt te.

Oremus.

GLoriose Christi cognate, Apostole, & Martyr S. Juda, qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminâsti; virtutibus, ac miraculis clarus, innumerabiles filios Jesu Christo peperisti; per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, precor, ut me miserum à consuetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuô mihi adsis patrociniô; ac tandem ad invisibilem gloriam tuis precibus evehas, ubi Sancta

-cta Trinitas adoratur, in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Amen.

*Devotio ad S. Dismam Pœnitentem Latronem, Magnum Agonizantium Patronum.*

*Antiph.* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus; ut requiescant à laboribus suis. *Apoc.* 14.

O Disma Latro pœnitens;
Lectissime Patrone!
Sis mihi tutor; moriens
Dum luctor in agone.

SAncte Disma, qui mirâ Dei providentiâ ex nefario Latrone in eximium pœnitentiæ speculum evasisti, & paucas intra horas æterna tibi gaudia comparâsti: respice de sublimi gloriæ tuæ throno in hanc vallem miseriæ: Recordare, ô Sancte mirabilis, mentis humanæ fragilitatis, ad malum semper, quàm ad bonum, magis proclivis: recordare, & pro nobis ad Deum appella; ut, sicut per gratiam suam efficacem ad pœnitentiam, & paradisi cœlestis gloriam te perduxit, ità nos famulos suos, & famulas, eadem efficaci gratia ad dignos pœnitentiæ fructus impellat: ut peccata técum abolentes, piè tibi commoriamur; ac unà tandem in Deo salutari nostro perenniter exultemus. Am.

*Oratio S. Brigittæ.*

BEnedictio æterna sit tibi Domine mi Jesu Christe, qui existens in mortis agonia, omnibus peccatoribus spem de venia tribuisti, quando Latroni ad te converso, paradisi gloriam misericorditer promisisti. Amen.

*Oratio ad Quemvis Sanctum.*

AVe vernans flos cœli, & gloriose Civis paradisi, beate N. gratias ago Domino Deo pro omnibus bonis, quæ in te contulit. Sed cùm non sit decora laudatio per os peccatoris. Tu ô Pa-

trone

trone dilectissime! ora pro me miserrimo peccatore, & plenam mihi impetra meorum veniam delictorum, spiritum bonum, ac sanctam gratiam, ut Deo meo perfectè reconciliatus, semper ei placeam, nec unquam in ejus amore deficiam. Adesto mihi nunc, & in hora mortis meæ: tunc me benignè consolare, conforta, & protege. Effice tuis meritis, ut anima mea tota munda hinc exeat, & ad vitam æternam perveniat.

*Antiph.* Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas ejus permanet die, ac nocte, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, quas in B. N. (Apostoli, *vel* Martyris, *vel* Confessoris) tui, solemnitate deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

---

# CULTUS SANCTORUM
## Societatis JESU.
# OFFICIUM
# DE S. IGNATIO,
## Societatis JESU Fundatore.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

CUm mundus in caligine reatuum jaceret,
Et hæresum fuligine suffusus indoleret;
Rerum supremus arbiter misertus ingementis,
Movit viri cor, gnaviter incommodo medentis;
Fuit vir hic Ignatius, missus medela morbis,
Virtute cujus lætius latè viveret orbis.

*Ant.* Constitui te hodie super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. *Jerem.* 1.

℣. Inveni Filium Jesse virum secundùm cor meum. ℟. Qui faciet omnes voluntates meas. *Act.* 13.

*Oratio.*

DEus, qui ad majorem Nominis tui gloriam ptopagandam, novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti; concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

IGnatius Mavortiæ se consecrat coronæ,
Spem fregit hujus gratiæ Bellona Pompellonæ.
Curatus æger cogitat vias inire vitæ,
Quas ïsse Divos lectitat, renuncians avitæ;
Lares Paternos deserit, plenúsq; charitatis,
Ubique semen inserit salubre sanctitatis.

*Ant.* Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi. *Gen.* 12.

℣. Ambula coram me, & esto perfectus.
℟. Et multiplicabo te vehementer nimis.

Ora-

*Oratio.* Deus, qui ad majorem, &c. *ut supr.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

AD Matris aram Virginis, pernox precando durat,
Omnique labe criminis cor expiando curat.
Carnem domat jejuniis, austeritatibusque,
Infensus, & cupediis, & lautitiis quibusque,
Idem frequenter extimos expertus est labores,
Idem frequenter intimos expertus est favores.

*Ant.* Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus, ego dilexi te, dicit Dominus. Tu servus meus, quem elegi. *Isa.* 43.

℣. Honestavit illum in laboribus. ℟. Et complevit labores illius.

*Oratio.* Deus, qui ad majorem, &c. *ut supr.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

TRicennis, imæ factus est tyro latinitatis:
Huc insolenti adactus est ardore charitatis:
Ut auctus inde nobili sodalium sequela,
Rebus vacaret, fertili mortalium medela.
Calumnias, & verbera, sannásque, carcerésque
Tulit, tulisset vulnera libentiùs, necésque.

*Antiph.* In fraude circumvenientium illum adfuit illi, & honestum fecit illum. *Sap.* 10.

℣. Custodivit illum ab inimicis. ℟. Et à seductoribus tutavit illum.

*Oratio.* Deus, qui, &c. *ut supr.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SUblimis inter aëra Ignatius tenetur,
Quando refulgens sidera, precando contuetur.

Apoſtolos in Indicum
ablegat hinc vepretũ;
Cum cæteris exoticũ
hìc excolit roſetum,
Aufert ſuorum cordibus ſodalium pavorem;
Cùm Chriſtus ipſis omnibus ſpoponderit favorem.

*Antiph.* Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam, cui diripuerunt flumina terram ejus. *Iſa.* 18.

℣ In doctrinis glorificate Dominum, *Iſa.* 24.

℟. Et docete homines legitima Dei. 4. *Reg.*

*Orat.* Deus, qui, &c.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

MOx Ordo, Jeſu nomine vocatus, inchoatur:
Fauſto deinceps omine formatus approbatur.
Sacro jubetur cœtui
Ignatius præeſſe,
Paſtoris hujus nutui
grex geſtiit ſubeſſe.
Curam ſuorum ſedulã
fructu ferace geſſit,
Cœlique juxta regulam res cuncta vitæ ceſſit.

*Antiph.* Aſſumam te Zorobabel ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi. *Agg.* 2.

℣. Cùm parvus eſſes in oculis tuis.

℟. Caput in tribubus Iſraël factus es.

*Oratio.* Deus, qui, &c.

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

JAm vitis iſthæc ſerpſerat Ignatio ſatore,
Orbémque fermè ſepſerat cœleſtium favore.
Cùm ſtrenui mens militis poſt hæc relicta caſtra,
Indepta nomen cœlitis, poli ſubivit aſtra.
O Patriarcha lumine
dignare nos paterno!
Opémque natis, limine
transmitte de ſuperno.

*Ant.*

*Ant.* Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate. *Mach.* 2.
℣. Reſpexit in orationem humilium.
℞. Et non ſprevit precem eorum. *Pſal.* 101.
*Oratio.* Deus, qui, &c.

*Commendatio.*

HÆc vota ſupplex offero Ignatio Parenti,
Et hunc honorem defero majora promerenti.
Exopto per te maximi nunc ponderis favorem,
Tum Numinis, tum proximi terris in his amorem.
Ut mens ſoluta corpore, feratur ad ſuperna,
Et pace pleno pectore fruatur æviterna.

*Oratio recitanda ante Imaginem S. Ignatii.*

SAlve S. Patriarcha Ignati, imitator Jeſu Chriſti; templum Spiritûs Sancti, ſerve amate SS. Trinitatis! Salve æmulator Martyrum, imago Apoſtolorum, vas electionis. Salve expugnator vitiorum, compendium virtutum, idea perfectionis. Salve norma patientiæ, caſtitatis lilium, modeſtiæ ſpeculum. Salve obedientiæ prodigium, charitatis ignis, pauperum refugium. Salve exemplar abſtinentiæ, humilitatis prototypon, afflictorum ſolatium. Auxiliare, Magiſter ignorantium, dux pœnitentium, reformator Chriſtianorum. Illumina mentem meam, dux infidelium. Guberna cor meum, magne affectuum tuorum moderator. Impetra mihi veniam, feliciſſime pacis conciliator. Exora in bono perſeverantiam, firma Eccleſiæ columna. Intercede pro me, meíſque omnibus, tum conſanguineis, tum amicis, & benefactoribus; ſtrenue clientum tuorum Protector. Sis mihi ſcutum in adverſitatibus, defende me à tentationibus, & omni-

mnibus in vita malis, nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

*Antiph.* Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentiũ, ut aperires oculos cœcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentem in tenebris.

℣. Annuntiate inter gentes gloriam ejus,

℟. In omnibus populis mirabilia ejus.

Oremus.

DEus, qui ſervum tuum S. Ignatium de mundi caſtris ad ſpiritualis militiæ triumphos evocâſti, præſta quæſumus; ut eum ſequamur ducem morum, & protectorem conſequamur. Per Chriſtum Dominum, &c.

*Antiph.* Idcircò poſui te, ut oſtenderem in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater Ignati.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEus, qui glorificantes te, glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut, qui ſancti tui Ignatii glorioſa merita colimus, ejus apud te pia patrocinia ſentiamus. Per Chriſtum, &c.

## LITANIÆ
### Ad S. Patrem
## IGNATIUM.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere.
Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora.

S. Pa-

S. Pater Ignati, ora.
Ignis à Deo orbi illate, ora.
Fundator Societatis JESU, ora.
Cultor admirande SS. Trinitatis, ora.
Jesu, & Mariæ delicium, ora.
Annule digiti Dei, ora pro nobis.
Sectator Apostolorum, ora pro nobis.
Æmulator Martyrum, ora pro nobis.
Cognitor cœlestium arcanorum, ora.
Zelator animarum, ora pro nobis.
Vas electionis portans nomen Jesu, ora pro nobis.
Lumen totius orbis, ora pro nobis.
Exemplar perfectionis, ora.
Extirpator vitiorum, ora pro nobis.
Gazophylacium virtutum, ora.
Contemptor mundi, & vanitatum ejus, ora pro nobis.
Decus vitæ mixtæ, ora pro nobis.
Zelotes majoris Dei gloriæ, ora.
Lucerna charitatis ardens, & lucens, ora.
Abysse humilitatis, ora pro nobis.
Lilium castitatis, ora.
Prodigium obedientiæ, ora.
Norma patientiæ, ora.
Idea mortificationis, ora pro nobis.
Regula devotionis, ora pro nobis.
Imago abstinentiæ, ora pro nobis.
Sidus constantiæ, ora.
Speculum modestiæ, ora pro nobis.
Conciliator dissidentium, ora.
Magister ignorantium, ora pro nobis.
Restaurator pietatis, ora pro nobis.
Pacis, & sanctimoniæ templum, ora.
Conviva mensæ Christi, ora.
Sacrarium Sanctissimæ Eucharistiæ, ora.
Antesignane militiæ Jesu, ora.
Eversor Idolorum, ora.
Dux pœnitentium, ora.
Pharos naufragantium peccatorum, ora.
Piscator infidelium, ora pro nobis.

Venator ferarum mentium, ora.
Discretor spirituum, ora pro nobis.
Amator Crucis Christi, ora.
Ocelle Religiosorum, ora pro nobis.
Sanitas infirmorum, ora pro nobis.
Solatium afflictorum, ora pro nobis.
Asylum pauperum, ora pro nobis.
Nutritie orphanorum, ora pro nobis.
Doctor parvulorum, ora pro nobis.
Pater Studiosæ Juventutis, ora.
Novum militantis Ecclesiæ Subsidium, ora.
Propugnaculum Fidei Catholicæ, ora.
Atlas Ecclesiæ Dei, ora pro nobis.
Refugium parturientium, ora.
Terror dæmonum, ora
Patrone te colentium, ora pro nobis.
S. P. Ignati, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.

℣. Ora pro nobis S. P. Ignati,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus, qui ad majorem tui Nominis gloriam propagandam, novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborâsti: concede, ut ejus auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, &c.

*Alia ad eundem Sancti efficax Oratio.*

O Gloriose S. Pater Ignati! qui ardentissimo erga Divinam Majestatem amore, & ferventissimo animarum zelo, mirabiliter â Deo dotatus fuisti; te hodie, pedibus tuis advolutus, humiliter deprecor, ut specialem curam gerere digneris omnium mearum necessitatum: mihique à Deo (cujus nunc beato aspectu frueris in cœlo) impetrare gratiam, me

ipsum

ipsum intimè cognoscendi, de peccatis meis vehementer dolendi, Deo ex toto corde serviendi, méque penitus à rebus terrenis abstrahendi, & adhærendi cœlestibus, per continuum solidarum virtutũ studium, ità, ut tuis insistendo vestigiis, divinâ misericordiâ per tuam efficacissimam intercessionem adjutus, in gratia finali moriar, dignúsque efficiar, qui tecum videam, amem, & glorificem Deum meum in æternum. Am.

*Oratio ad S. Patrem Ignatium.*

*R. P. Petri Ribadeneira Societatis Jesu.*

O Pater mi dulcissime, tot filiorum Patriarcha gloriose. O IGNATI, Religionis tuæ ornamentum, Ecclesiæ Catholicæ præsidium, quam per te, & tuos Filios amplificâsti, & etiamnum amplificare non desistis, Pater! quem peculiari obsequio anima mea veneratur: in quem post Beatissimam Dei Genitricem, & Angelum meum Custodem singulare fiduciæ meæ anchoram defixi: ad te confugio, & pedibus tuis provolutus, in lachrymarum valle supplex auxiliũ imploro.

Anima sancta oculos pietatis tuæ in hanc animam peccatricem flecte. Aspice, Pater dulcissime, inutilem filium tuum; & qui jam in portu gaudes, memineris navigantium in hoc tempestatum pelago: quíque victoriæ palmam tenes, militibus tuis manum porrige.

Per illam ego te ineffabilem gratiam, qua te vanitatibus immersum Dominus prævenit, in alium hominem mutavit, & gloriosum in cœlo, & terra effecit, obtestor: ut mihi veniam peccatorum impetres, quibus Divinam offendi Majestatem, priusquam radiis divinæ vocationis collustratus, te Magi-

ſtrum, & Patrem complecterer.

Per illum ego te ſpiritum planè Divinum, quo te Dominus ad ſuſtinendos omnes auſteritatum ictus, & adverſitatum impetus locupletavit, rogo, ut mihi idem Dominus defectus omnes ignoſcat, & ità ſpiritum meum erigat, ut tuis veſtigiis inſiſtere valeam.

Per illam te ſapientiam, & Divinam lucem; quâ Deus te illuſtravit, & ideam hujus Religionis, normámque inſtituti, ac vitæ adeò ſanctæ tibi oſtendit, precor, Pater amantiſſime, ut mihi, & Filiis tuis obtineas à Patre luminum lucem mentis; ut Divinum ſplendorem hujus Inſtituti intueamur, illud amemus, & compleamus.

Per illum amorem infinitum, quô Dominus te tot filiorum Parentem, & minimæ Societatis Fundatorem eſſe voluit, eámque Spiritu, Prudentia, & Virtute tua per univerſum orbem diffudit, ut Filii tui fructum ferrent admirandum, rogo, ab eodem Domino petas, ut hæc cœpta promoveat, Spiritum Patris zelantem in nobis excitet, charitatem ad frangendas ejus amore omnes difficultates confirmet.

Impetra nobis ſtudium orationis, affectionum mortificationem, converſationem inter nos pacificam, cum proximis ſpiritualem, puritatem Angelicam, ſitim lucrandi animas, patientiam, manſuetudinem, perſeverantiam; ſpiritum denique tuum, & gratiam, quam tu à Domino noſtro pro te, & nobis accepiſti.

LargireSuperioribus ſpiritum paternum, Subditis obedientiæ, Diſcipulis humilitatis, Concinatoribus zeli ſecundùm ſcientiam, Confeſſariis efficaciæ ad curandas peccatorum plagas; iis, qui

inter

inter hæreticos versantur, fidei, & constantiæ, qui novum in orbem peregrinantur, spiritum invictum, & Apostolicum, & animi robur; Novitiis Vocationis tam sanctæ æstimationem, Coadjutoribus devotam humilitatem, & super omnia nobis omnibus puram intentionem, ut in omnibus majorem Dei Gloriam quæramus. quam tu velut scopum unicum tui Instituti esse voluisti.

O Pater Sancte! Filiis tuis partem tui Spiritûs communica. Quantumvis parva fuerit, sat erit omnibus: & quantumvis dividas totum, tibi etiam servabis integrum: non secùs, ac Moyses spiritum, quem divisit in septuaginta duos. Largire, inquam, nobis: nam etsi Dominum fontem donorum omnium agnoscimus, tu tamen adeò illi fonti inhæres, adeóque Divinis oculis places, ut, quidquid petieris, sis obtenturus in salutem Filiorum, quos ipsemet Dominus tibi dedit; qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*Benedictio aquæ S. P. Ignatii, Corpori, & animæ plurimum salutaris, multisque exemplis comprobata.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte Pater Omnipotens æterne Deus, qui benedictionis gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem Nominis tui benignus assiste (interceden-

dente B. Ignatio Confessore tuo) ut famulos tuos ab ægritudine liberatos, & sanitate donatos, dexterâ tuâ erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni prosperitate restituas. Per Dominum, &c.

*Alia Oratio.*

BEnedic Domine hanc aquam, † ut sit remediū salutare generi humano, & per intercessionem Beati Ignatii, cujus reliquiæ in eam immerguntur, præsta, ut quicunque ex illa sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Dominum nostrum. &c.

*Oratio.*

DEus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam, novô per B. Ignatium subsidiô militantem Ecclesiam roborâsti, concede, ut ejus auxiliô, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum, &c.

*Reliquiæ merguntur initiô benedictionis usque ad finem.*

---

# CULTUS S. FRANCISCI XAVERII Societatis JESU.

# OFFICIUM S. FRANCISCI XAVERII.

## AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, &c.

Hy-

*Hymnus.*

SAlve: domus Xaveriæ
Auguſtior corona,
Franciſce, quem tot gloriæ,
Cœlóque tanta dona
Inſigniunt, quem Trinitas
Quem Japon, Indus orbis,
Quem Trina adornat Unitas.
Pulſis tot orbe morbis.

*Ant.* Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea usque ad extremum terræ. *Iſa.* 49.

℣. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus. ℟. Nimis confortatus eſt principatus eorum.

*Oratio.*

DEus, qui Evangelium regni tui per barbaras gentes, & reconditas nationes S. Franciſci tui Xaverii prædicatione ſeminâſti, & ejus ſanctitatem puriſſimi corporis incorruptione declaras: concede quæſumus; ut, qui ejus memoriam agimus, eum morum imitatione ſequamur. Per Dominum noſtrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

SAlve ſalus Travancoris,
Doctórque parvulorum.
Exorta lampas Braſilis,
Ductorqur Barbarorum:
Illis legebas Virgine
De Matre lectiones,
His de Deo, in corpore
Cruento ſectiones.

*Ant.* Si decem millia Pædagogorum habeatis, ſed non omnes Patres, quia per Evangelium ego vos genui.

℣. Omnibus omnia factus ſum.

℟. Ut omnes facerem ſalvos.

*Orat.* Deus, qui, &c.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

SAlve, cui nec barbarus
Hoſtis, ſuperbus armis,
Nec ipſe par eſt Tartarus

Clarus tot orbe palmis.
Te namque Bungus prædicat,
Malaca te parentem
Agnoscit, & deprædicat,
Xaverium potentem.
*Ant.* Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis. *Gen.* 22.
℣. Cúmque levaret Moyses manus.
℟. Vincebat Israël.
*Orat.* Deus, qui Euangelium, &c.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

SAlve, sacri Baptismatis
Qui sic lavas ab undis
Mauros: ut atri stigmatis
Hos liberes ab umbris:
Decies centena millia
Francisce te sequuntur,
Quæ si putantur vilia,
Majora subsequentur.
*Antiph.* Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. *Ezec.* 36.
℣. Millia millium ministrabant ei.
℟. Et decies centena millia assistebant ei. *Dan.* 7.
*Orat.* Deus, qui Euan.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

SAlve, cui mors horrida
Non antè fata struxit,
Quàm, quos in antra torrida
Abduxerat, reduxit.
Vicena namque funera
Et quinque suscitâsti,
Mortémque post tot vulnera
In temet incitâsti.
*Ant.* Joannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo,
℣. Dii facti similes hominibus descenderunt ad nos. *Act.* 14.
℟. Et resurrectione mortuorum, lumen annunciantes populo, & gentibus. *Act.* 26.
*Orat.* Deus, qui Euangelium, &c.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.

Hy-

*Hymnus.*

FRancisce, magne Numinis,
Et proximorum amator,
Francisce veri luminis
In orbe seminator:
Salve, cui dum patria
Angustiora castra
Describeret, tunc atria
Dat Numen inter astra.

*Antiph.* Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cœlis. 2. *ad Cor.* 6.

℣. Pretiosa in conspectu Domini.

℟. Mors Sanctorum ejus.

*Orat.* Deus, qui Euangelium, &c.

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutor. &c.

*Hymnus.*

FRancisce, nec labecula
Putredinis notate,
Post fata nec nubecula
Palloris inquinate,
Salve, tuòque lumine
Sic Indias serena.
Europa vero Numine
Ut sit, Deóque plena.

*Antiph.* Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan.* 23.

℣. Quoniam non derelinques animam meam in inferno.

℟. Nec dabis, Sanctum tuum videre corruptionem.

*Orat.* Deus, qui Euangelium, &c.

*Commendatio.*

HÆc Indiarum Apostolo,
Hæc vota Thaumaturgo,
Japoniorum Apostolo,
Dicata amoris ergo,
Ergo tuis compendiis
Sic per viæ salebras,
Et sic tuis stipendiis
Me duc per has latebras:
Ut ceu tuis ab ignibus
Calente corde mundum
Contemno, sic insignibus

Vitem tuis profundum,
Dicámque tecum, ô Amplius,
Domine, ampliùs, dolores!
Dicámque tecum crebrius,
Satis eft, Satìs favores.

LITANIÆ
AD S. FRANCISCUM
XAVERIUM.

KYrie eleifon.
Chrifte eleifon.
Kyrie eleifon.
Chrifte audi nos.
Chrifte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miferere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, mif.
Spiritus Sancte Deus, miferere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, mif.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
S. Pater Ignati, ora.
S. Francifce Xaveri, digniffime, & dilectiffime Fili S. Patris Ignatii, ora.
S. Francifce Xaveri Indiarum Apoftole, ora pro nobis.
S. Francifce Xaveri Euangelizans pacem, ora pro nobis.
S. Francifce Xaveri Euangelizans bona, ora pro nobis.
Vas electionis portans nomen Jefu coram gentibus, ora.
Vas redundans divinæ charitatis, ora.
Firmamentum Orientis Ecclefiæ, ora.
Propugnator Fidei, ora pro nobis.
Impugnator infidelitatis, ora.
Prædicator Euangelicæ veritatis, ora.
Idolorum deftructor, ora pro nobis.
Electum à Patre æterno Inftrumentum propagandæ divinæ gloriæ, ora.
Fidelis Imitator, & Socie Jefu Chrifti Filii Dei, ora.
Tuba refonans Sancti Spiritûs, ora.
Columna Templi Dei, ora pro nobis.
Lux paganorum, ora pro nobis.

Ma-

Magister credentium, ora pro nobis.
Speculum veræ pietatis, ora.
Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis, ora.
Exemplar Apostolici Spiritûs, & sanctitatis, ora.
Lumen cœcorum, ora.
Pes claudorum, ora.
Auxiliator naufragantium, ora.
Salus ægrotorum, ora.
Fugator dæmonū, ora.
Vita mortuorum, ora.
Cujus potestati obediunt mare, & tempestates, ora.
Cujus imperia venerantur universa elementa, ora.
Prodigiorum Thaumaturge, ora.
Refugium miserorum, ora pro nobis.
Gaudium afflictorum, ora pro nobis.
Orientis splendor, ora.
Pignus resurrectionis ad vitam gratiæ, & gloriæ, ora.
Tabernaculum incorruptionis, ora.
Ærarium divini amoris, ora.
Gloria Societatis Jesu, ora pro nobis.
Legate Apostolicæ Romanæ Sedis, ora.
Pauperrime Xaveri, ora pro nobis.
Castissime Xaveri, ora.
Obedientissime Xaveri, ora.
Humillime Xaveri, ora.
Crucis Christi, ac laborum pro Christo cupidissime Xaveri, ora pro nobis.
In salutem proximi vigilantissime Xaveri, ora pro nobis.
Suavissime Xaveri, ora.
Gloriosissime Xaveri, ora pro nobis.
Animarum, & Divini honoris Zelator ardentissime, ora.
Angele moribus, & vitâ, ora.
Patriarcha affectu, & studiô curandi populum Dei, ora.
Propheta donô, & spiritu, ora.
Apostole dignitate, & meritô, ora.
Doctor gentiū potens in multifario sermone, & opere, ora.
Confessor virtute, & vitæ professione, ora.

Virgo

Virgo animô, & corpore, ora.
In quo uno omnium Sanctorum merita ex Divina benignitate veneramur, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Ora pro nobis S. Francisce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius; ut, qui beati Francisci Xaverii Confessoris tui gloriosa merita colimus, ejus pia patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, &c.

DOmine Jesu Christe, per illa quinque vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, intercedente beato Francisco Xaverio, famulis tuis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti. Qui vivis, & regnas, &c.

*Hymnus ad S. Franciscum Xaverium.*

FRancisce, Mundi gloria,
Orbísque lumen alterum,
Qui nunc beatis Cœlitum
Mensis quietus accubas;
Agnum secutus prævium
Ludis choreas virginis:
Intérque cœtus candidos
Comes pudicus ambulas.
O si teramus asperam
Tecum pudoris semitam!
Da: da Pater, quod poscimus;

Nec

Nec sperne vota supplicum.
Sint pura nobis pectora,
Fœdata nullis sordibus,
Ut æmuli virtutibus,
Pari fruamur gloria.
℣. Ora pro nobis sancte Francisce Xaveri.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi,

*Oratio.*

O Beatissime, ac gloriosissime S. Francisce, gaudeo, exulto, & gratulor tibi omnem gloriam tuam, quâ post præclarissima virtutum merita jam æternùm frueris. In gratiarum actionem offero Domino Deo tuo: & meo, non tam mea solùm, ut quæ tenuia sunt, & imperfecta, quàm oblata totius Ecclesiæ pia obsequia, sacrificia, aliáque omnia devotionis opera, quibus gratam meritorum, virtutúmque tuarum commemorationem facimus. O si easdem, quas in te suspicio, colo, veneror, virtutum actiones imitari quàm proximè possim! supple defectum, & infirmitatem meam ô gloriosissime S. Francisce! & per tuam intercessionem, cui optimus Deus, qui glorificantes se glorificat, nîl negare poterit, impetra mihi donum puritatis, & præterea virtutes N. ut in hac vita, actionum tuarum sedulus æmulator, in altera verò æternæ gloriæ consors effici merear. Amen.

*Oratio ad S. Franciscum Xaverium. Adm. R. P. Vincentii Caraffæ Soc. Jesu Generalis Septimi.*

O Magnanime, & invicte Christi Athleta, ô gloriose Sancte Francisce Xaveri! Tu beatissime cœli incola, Seraphine paradisi, Magister Gentium, magne novi orbis Apostole, Tuba Divini Spiritûs, Aura vitalis, & Anima universi! Te agnoscimus, & veneramur innocentissimum integritate vitæ, moribus intemeratum, & san-

ſanctum, opere mirabiliter exemplarem, candore virginali puriſſimum lilium, & virtute miraculorum potentiſſimum Thaumaturgum. Tibi devotiſſimi clientes tui, filiali cordis teneritudine de magna tua gloria, qua etiamnum frueris in Cœlo, gratulamur, ubi tot tibi nectuntur beatitudinis coronæ, quot ibi degunt per te animæ ſalvatæ. Quot cruces ſuſtinuiſti in terris, tot honori tuo modo ſunt erecta trophæa in Cœlis: quot injurias, & opprobria tolerâſti, tot honorum, & laudum tituli, tot gloriæ, & lætitiæ hymni à cœleſtibus ſpiritibus tibi accinuntur. Te ô ſuaviſſimè Xaveri, Patronum noſtrum invocamus, in tua protectione confidimus, & tua vivimus ſub tutela ſecuri. Accipe hoc exiguum, ſed cordiali affectu oblatum obſequium: impetra nobis veram heroicarum virtutum tuarum ſequelam; integram noſtri notitiam, & animi demiſſionem, magnanimum ſpiritum ad promovendam DEI gloriam, Seraphicum Numinis amorem, rerum temporalium contemptum, conſtans cœleſtium deſiderium, & ardentiſſimam in Angelorum Reginam, Dominam noſtram, Dei Matrem Mariam pietatem; ut te adjuvante eam ferventer diligendo in terris, pertingamus ad ejusdem tecum æternam fruitionem in cœlis.

Amen.

OF-

# OFFICIUM PARVUM S. FRANCISCI BORGIÆ, Societatis JESU.

AD MATUTINUM.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende; &c.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

ILlustre sidus Principum,
Francisce salve maxime;
Qui fœtido cadavere
Viso, horruisti sæculum.
Averte nostra lumina,
Ne vanitates hauriant.
Sed in supremam cœlitum
Sint fixa sedem jugiter.

*Antiph.* Tœduit me vitæ meæ, videntem, mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritûs.

℣. Non aspiciam hominem ultrà, & habitatorem quietis.

℟. Hæc requies mea in sæculum sæculi, quoniam elegi eam.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui spreta mundi vanitate B. Franciscum Borgiam ad Societatem Filii tui vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut, quem eximiæ sanctimoniæ exemplar habuimus in terris, ejus coronæ participes fieri mereamur in cœlis. Per Christum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve columna Gandiæ,
Et Religionis gloria;
Qui

Qui aulâ relictâ Principis
Aulam petîsti Numinis!
Servos fideles, Cœlitum
Servire fac nos Principi,
Ut tecum eodem præmio
Fruamur, atque gaudio.

*Antiph.* Apud te laus mea in Eccclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.

℣. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

℟. Replebitur in bonis domûs tuæ.

*Oratio. ut supr.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlveto speculum pauperum,
Opúmque spretor inclyte,
Felicitatem divitum
Qui vanitatem duxeras,
Fac spiritu nos pauperes,
Virtute verò divites,
Gazas caducas spernere;
Solúmque Christum quærere.

*Antiph.* Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias regum, & provinciarum: vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

℣. Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.

℟. Et non respexit in vanitates, & insanias falsas.

*Oratio. ut supr.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve polaris flammula,
Cœli voluptas, Borgia,
Devotionis lacrymâ
Cui madebant lumina.
Rores supernos gratiæ
Devotionis deplue,
Cor incalescat frigidum,
Flammis amoris æstuet.

An-

*Antiph.* Cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

℣. Tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.

℟. Et in oratione confitebitur Domino.

*Oratio ùt suprà.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve pudicitiæ rosa,
Et castitatis lilium;
Hostis voluptæ maxime,
Carnisque victor nobilis.
Tu puritatem corporis,
Mentísque serves integram,
Cor munda ab omni crimine,
Dignus thronus fit Numine.

*Antiph.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.

℣. Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam.

℟. Et secundùm puritatem manuum mearum in conspectù oculorum ejus.

*Oratio. ùt suprà.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve culmen humilium,
Exemplum obedientiæ,
Calcatâ honoris purpurâ,
Demissionis gratiâ
Qui claruisti maximâ.
Motus superbos comprime,
Mentes rebelles doma,
Humilésque veros effice.

*Antiph.* Sapientia humiliati exaltabit caput illius, in medio Magnatum considere illum faciet.

℣. Memoriam superborum perdidit Deus.

℟. Reliquit memoriam humilium sensu.

*Oratio. ùt suprà.*

AD

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve potestas dæmonum,
Bellator invincibilis,
Qui nobilis victoriis
Plaudens migrâsti è corpore,
Adversùs infernalium
Tentationes hostium,
Nobis adsis fortissimum
In morte propugnaculum.

*Antiph.* Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est; non diuturna, neque annorum numerô computata.

℣. Gloriosa in conspectu Domini.

℟. Mors Sanctorũ ejus,

*Oratio. ut supra.*

*Commendatio.*

HÆc tibi dicamus: Borgia,
Præconiorum carmina;
His te polorum Principem,
Terræque jubar, extollimus,
Præsta; tuis virtutibus
Ut vita nostra fulgeat;
Eâdem ut inter cœlites
Tecum micemus gloriâ.

℣. Ora pro nobis S. Francisce Borgia.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, veræ humilitatis, & exemplar, & præmium; quæsumus, ut, sicut B. Franciscum in terreni honoris contemptu, imitatorem tui gloriosum effecisti, ità nos ejusdem imitationis, & gloriæ tribuas esse consortes. Qui vivis, & regnas in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula, &c.

# CULTUS
# S. ALOYSII GONZAGÆ
## Societatis JESU
## *Per sex Dies Dominicos*
## AD CULTOREM S. ALOYSII.

*Singularia, eáque plurima beneficia, quæ ALOYSII Cultoribus benignissimus DEUS elargiri dignatus est, piæ memoriæ Papam CLEMENTEM XII. impulêre, ut magìs, magìsque Sancti hujus cultum, ac honorem promovere adlaboraret. Quamobrem Annô 1740. die 7. Januarii plenariam peccatorum Indulgentiam per sex, eósque singulos dies Dominicos lucrandam impertivit illis, qui per eosdem continuos sex dies erratorum confessione ritè expiati ad sacram communionem accesserint, ac piis insuper meditationibus, precibus, aliísque pietatis exercitiis ad Divi ALOYSII honorem obitis DEUM in suo Sancto glorificaverint. Utere proinde tam opportunô hunc Sanctum, & DEUM in illo glorificandi adminiculô: experieris etiam, quod multi bonô suô sunt experti, ad impetrandas plurimas, maximásque gratias, multùm esse præsidii in cultu, ac veneratione S. ALOYSII.*

### MODUS
*Colendi S. ALOYSIUM per sex continuos dies Dominicos.*

UT DEUM in Sancto ALOYSIO pro viribus glorifices, & ejusdem sancti patrocinio uberioribus gratiarum donis repleri merearis, opera omnia, cogitationes, & verba per continuos sex dies Dominicos præcipuè dirige ad majorem DEI gloriam, &

Divi

Divi ALOYSII honorem: ad impetrandam certam aliquam gratiam, qualis eſt: Primùm innocentiæ florem conſervare illibatum, non infeſtari, aut ſuccumbere impuris tentationibus, liberari à certis peccatis, aut peccandi periculis, eligere vitæ ſtatum, in quo ſalvus fias, ad quæ, aliaque faciliùs impetranda obſerva ſequentia:

I. Animum tuum ità compara, ut purus ſit in oculis DEI: quare ſingulis ſex diebus Dominicis emunda conſcientiam peccatorum confeſſione, & ſacro Chriſti corpore refice animam. Conſuetis precibus adde Officiū, Litaniás, aliásque precationes ad S. Aloyſium, quas in Eccleſia, vel domi coram Divi imagine devotè recitabis. Colenda etiam peculiariter Immaculata Conceptio Beatæ Virginis, & facienda SS. Angelorum, aliorúmque Sanctorum memoriâ ad S. Aloyſii imitationem: legendum inſuper aliquid ex Thoma à Kempis de Imitatione Chriſti, ex ejusmodi ſancti vita, vel alio libello pio; Denique ſingulari cum attentione illa virtus perpendenda, & exercenda eſt, quæ ſingulis Dominicis ad imitandum proponitur.

II. Cùm S. Aloyſius peculiari cultu veneratus ſit velatum ſub pane DEUM in Euchariſtiæ Sacramento, tu hiſce diebus Dominicis ſæpius Eccleſiam adi, & repetitis actibus adorationis, fidei, ſpei, charitatis, contritionis, propoſiti; deprecationis, oblationis, aliísque expone DEO neceſſitates tuas, ac per merita, & interceſſionem S. Aloyſii cœleſte auxilium implora. Domi pariter coram oculis habe, & venerare imaginem S. Aloyſii, ad hunc recurre ſæpius cum fiducia, piísque preci-

bus

bus, ac suspiriis, & te, tuáque omnia illius tutelæ commenda cum plena in DEI voluntatem resignatione.

III. Ut DEUM, & S. ALOYSIUM facilius in vota tua flectas, assume nonnulla spontaneæ afflictationis opera. Si uti non vales lecto asperiore, flagris, aut cingulo ferreo, utere saltem sensuum, & carnis afflictatione moderata, v. g. abstinendo à bolis sapidioribus, vel esu, potúque extra tempus prandii, & cœnæ; fræna præcipuè aures, oculos, & linguam, hanc cohibendo à sermocinatione inutili, illos ab aspectu, & auditu rerum curiosarum; maximè verò stude vincere affectus animi immoderatos, ac præ omnibus passionem prædominantem.

Denique, ut hæc tua devotio DEO magìs grata accidat, toto illius tempore consueta opera, & preces majori cum fervore perage. Fuge diligentiùs peccata, & peccandi occasiones, magìs cole solitudinem, tempus omne utiliter impende, exerce plura opera charitatis erga proximum, nunc largiendo eleemosynam, jam miscendo sermones pios, nunc abstrahendo alios à peccatis, & orando pro peccatoribus, aut constitutis in periculo perdendi innocentiam.

## *INTENTIO*
### *Singulis diebus Dominicis repetenda.*

OMnipotens æterne DEUS! ego misserrima creatura prosterno me coram te, & adoro Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem meum. In te credo; in te spero; te amo super omnia propter te ipsum: Ex hoc purissimo tui amore defleo, ac detestor omnia mea peccata orans per Sanguinem Jesu Christi, ut mihi parcas. Malo in posterum pati omnia, &

etiam mori, quàm peccare.

GRatias ago tibi mi Deus! pro innumerabilibus beneficiis S. Aloysio, tum mihi, aliísque per merita illius, & intercessionem præstitis; ac præcipuè pro singulari innocentiæ, & castitatis dono, quo eundem Sanctum decorare es dignatus; In gratiarum actionem offero tibi devotionem hanc meam cum omnibus cogitationibus, verbis, & operibus: suscipe illam ad majorem tui Nominis gloriam, in honorem Immaculatæ V. MARIÆ, SS. Angelorum, ac præcipuè S. Aloysii ad impetrandam per merita, & intercessionem ejusdem Sancti uberem gratiam impuris tentationibus strenuè resistendi, innocente corde, & casto corpore tibi constanter placendi. (*Adde hic reliquas gratias, quas impetrare cupis.*)

TIbi etiam, ô Sancte ALOYSI! hanc eandem Devotionem humillimè offero: suscipe illam ab indignissimo cliente tuo, offer illam per manus tuas altissimo, & impetra mihi illas gratias, quas meritis tuis, & intercessione à misericordissimo DEO impetraturum me confido, si id cedat ad majorem illius gloriam, & animæ meæ salutem. Am.

## DOMINICA I.

Imitare S. Aloysium in cura innocentiæ, & puritatis.

*De singulari Cura innocentiæ, & puritatis S. Aloysii.*

PArentes sanguine, & pietate clarissimos nactus est Aloysius, Patrem habuit Ferdinandum Gonzagam S. R. I. Principem, & Castilionis Stiverorum in Gallia Cis-alpina Marchionem; Matrem Martham Tanam Santeniam è pervetusta Dynastarum Roboreorum stirpe. Tantus familiæ splendor nihil obfuit piissimæ institutioni,

&

& admirabili vitæ innocentiæ, qua inclaruit Aloysius, quin potiùs incitamento fuit, quo ad sublimem vitæ sanctitatem est evectus. Illustribus nasci parentibus solius DEI est beneficium: gratum exposcit animum ab eo, cui est datum. Non potes hunc testatum facere magìs, quàm vita pura, & innocente.

Integritas vitæ in Aloysio à prima ætate erat tanta, ut primi nominis viri, quibus arcana conscientiæ manifestaverat, unanimi sensu sint testati, eum nunquam graviore culpa commaculâsse animum, primámque innocentiam tumulo intulisse. Grande animi solatium est vita pura, & innocens. Thesaurus est inæstimabilis: si hunc tenes, sat dives es; cave, ne perdas: si perdidisti, jacturam fecisti irreparabilem, sanguineis lachrymis deflendam.

Ut innocentiæ primæ decus firmaret magìs, magísque custoditum teneret Aloysius, novennis perpetuam virginitatem vovit. Hanc vovit Florentiæ ad Aram Virginis Annunciatæ: vovit, ut DEO, ac Deiparæ, quibus unicè placere semper studuit, placeret magis. Nihil pudore Virgineo magìs gratum est DEO, & Deiparæ. Quanto integrior fuerit corporis, ac mentis tuæ puritas, tantò certiùs utriusque amorem promereberis. Purissimus JESUS, & Virgo purissima præ reliquis amant puros, & innocentes.

REFLEXIO.

I. *SAnctus ALOYSIUS Illustri Domo natus, mirâ eluxit vitæ innocentiâ.* An præ omnibus mihi curæ est vita pura, & innocens? Potuit Aloysius cum splendore natalium, & opum affluentia illibatam tueri innocentiam: cur ego non possum, nec adeò clarus genere, nec opibus affluens?

Ah! quando discam à te innocentissime ALOYSI! præ bonis mundi omnibus æstimare, amare, & custodire innocentiam;

II. *ALOYSIUS culpa gravi nunquam maculavit conscientiam.* An quodlibet peccatum grave magìs horreo, quàm mala mundi omnia? Cur non pudet ob brevissimam voluptatulam conspurcare animam, & æternæ felicitatis jacturam facere? Purissime Aloysi! intercede pro me, ut imposterum malim pati adversa omnia, & etiam mori, quàm peccare.

III. *ALOYSIUS novennis virginitatem vovit, ut firmior persisteret in innocentia, & magìs placeret Deo, ac Deiparæ.* An studeo modis omnibus angelicæp uritati mentis, & corporis? Quibus mediis servare satago virtutem adeò pretiosam in oculis Dei, & Mariæ? An fugio pericula omnia, & nævos minimos virgineo pudori contrarios, ne incidam in graviores? Castissime Aloysi! tibi commendo cor, corpus, & animam meam: non sine me, obsecro, ulla unquam impuritatis labe fœdari.

*Oratio ad S. Aloysium pro impetranda vitæ innocentia, & puritate.*

INnocentissime Aloysi! qui speciali Dei gratia, & immaculatæ Virginis patrocinio non modò ab omni graviore culpa, verùm etiam ab impuris tentationibus semper immunis fuisti, te humillimè rogo, ut mihi indignissimo clienti tuo à purissimo Jesu, ejusdémque immaculata Matre, & Virgine Maria impetrare digneris gratiam, impuris tentationibus semper resistendi, & millies moriendi potius, quàm ut animam meam peccato gravi contaminem. Amen.

DO-

## DOMINICA II.
### Imitare S. Aloysium in Sanctitate interna.

*De Sanctitate interna S. Aloysii.*

NIhil, ut hominibus placeret, egitAloysius. A solo Deo sciri, & videri quærebat, hunc unicè vitæ suæ testem, & cogitationum, verborum, operúmque arbitrum respiciebat. Mores quidem &actiones omnes, quantum licuit, ad communem vivendi normam composuit: attamen spiritu interno, & purissima intentione ità animavit, ut singularia omnia viderentur. Multùm interest, quo Spiritu opera tua peragas. Deus non tam respicit, quid agas, quàm finem, ex quo agis. Ut vitæ, ac rerum omnium principium Deus est, ità actionum præcipuus finis esse debet. Omnis in irritum labor cadit, qui pro fine ultimo Deum non respicit.

Incredibile dictu est, quantum Dei amore in corde suo flagraverit Aloysius: hunc agnoscebat unicum, ac summum bonum, & infinite amabilem. Afficiebatur dolore maximo, quod tantum non amaret, quantum vellet. Hic dolor usque adeò tenellum pectus excruciavit, ut martyrii quandam speciem referret, & Martyrem incognitum efficeret Aloysium. Quòd tam parùm à te ametur Deus, quòd toties offendatur, quid aliud in causa est, quàm quia non sat cognoscitur? magis amares, si animo à rebus terrenis liberô magis nolcere laborares.

Tam ardenti in Deum amore flagrans Aloysius quocunque se ferret, nunquam præsentis Dei memoriam deposuit. Tota ibi ejus erat anima, ubi amabat. Repetitis identidem suspiriis cum Deo colloquebatur. A rebus creatis continuò ad Creatorem cogitatione

tione ascendit, eóque demum evasit, ut mentione de Deo facta mox cœlesti voluptate difflueret. Multarum gratiarum fons est frequens mentis ad Deum elevatio: hæc adfert in tribulatione solatium, in tentationibus auxilium, in dubiis consilium, in corporis animæque periculis præsidium. Sinè hac ad veram sanctitatem nemo pervenit, nemo perveniet.

## REFLEXIO.

I. *ALOYSIUS egit omnia studio placendi Deo.* An vitam pariter omnem pura intentione ad Deum refero? quò tendunt meæ cogitationes, verba, & opera? Cur tam avidè inhio vanis laudibus, & magìs quæro placere hominibus, quàm Deo? S. Aloysi: ora pro me, ut sicut tuarum, ità mearum cogitationum, actionum, ac verborum omnium principium, & finis sit solus Deus.

II. *COr Aloysii flagravit amore in Deum ardentissimo.* Solus Deus est summe bonus, & omni amore dignissimus, an hunc amo super omnia? An amo aliquid præter Deum, aut certè non propter Deum? Divino amore flagrantissime Aloysi! fac: ut tuô exemplô super omnia amem amabilissimum Deum, nec unquam aliquid amem, nisì propter Deum.

III. *MEns ALOYSII semper fuit cum Deo conjunctissima.* An mentem sæpiùs ad Deum elevo? An ad hunc aspiro in tribulationibus, tentationibus, dubiis, periculis? Deus mihi semper, & ubique præsens est; cur hoc neglecto toties mente ad res creatas evagor? Cum DEO conjunctissime Aloysi! doce me præsentem Deum ità continuò revereri, ut ab eo nunquam recedam animo, nunquam affectu.

*Oratio ad S. Aloysium pro impetranda Sanctitate interna.*

CUm DEO conjunctissime Aloysi! qui ab interno semper operatus mirabiles ad Deum ascensiones fecisti, quíque in corde tuo tam ardenti in Deum amore flagrâsti, ut Martyr incognitus meritò dicereris: impetra mihi, obsecro, apud Divinam Majestatem, gratiam efficacem, ut corde puro, & à rebus terrenis abstracto unicè Deo meo adhæream, nec unquam aliò tendant meæ cogitationes, verba, opera, quàm ut illi soli placeam, & sanctissimam illius in omnibus expleam voluntatem. Am.

## DOMINICA III.

Imitare S. Aloysium in Sanctitate externa.

*De Sanctitate externa S. Aloysii.*

COntinuò defixus in Deo Aloysii animus satis indicat, quàm exacta fuerit, ac rigida sensuum externorum custodia. Hi quodammodo otiosi agebant, tam raró suis functionibus adhibebantur. Linguæ usus illi erat moderatissimus. Verba omnia in censuram vocabat, priusquàm in medium proferret. Non admittebat in aures, quidquid etiam jocô prolatum sordes olebat, aut venerem. Manus ità continebat in officio, ut neminem facilè tangeret, nec tangi se pateretur. Externi sensus veluti portæ sunt, per quas aditus patet in animam. Nisi arctâ claudantur custodiâ, heu! quot hostes irruent? irruent fœdæ rerum imagines, pravæ cogitationes, & cupiditates: hæc malè custoditam deprædabuntur innocentiam.

Oculos refrænavit quàm maximè, etiam à licitis abstrahere suetus. Fugit non modò vultum, sed & umbram fœminæ. Trieñiô versatus in aula regia, Re-

ginæ faciem nunquam aspexit. Non lecti ab illo libri impuri, aut minùs verecundi, nec spectata histrionum theatra. Denique adeò cautè custoditos gerebat oculos, ut qualis illi coloris essent, nemo facilè adverteret. Incautæ mentis index est oculus incustoditus. Scopulus est non unius innocentiæ naufragio infamis. Ut integritatis custos est oculorum modestia, ità illius interitus est videndi cupiditas. O quot Ecclesia numeraret Aloysios! si curiosi Juvenes oculos magìs refrænarent.

Tam rigidæ sensuum custodiæ adjecit rigidissimos tenelli corpusculi cruciatus. Toleravit hebdomadis singulis tria jejunia aquâ, & pane permodico: aliàs etiam ità temperans, ut ejus prandia vix unciam appenderent. In carnem suam desæviit austeritate incredibili, sæpius ter in die funibus, aut catenis se cruentavit. Non raró supplevit flagella loris canum, & cilicia equorum calcaribus. Mollem lectulum asperavit injectis ligni fragmentis, ne noctes etiam sinè aliqua afflictatione abirent. Non alius pejor animæ hostis est, quàm caro: continuas innocentiæ parat insidias, & nisi dometur, eripit innocentiam, & occidit animam. Tu ità illam continuò frænare stude, ut nihil noxiæ voluptatis indulgeas. Heu! quot æternùm perierunt, qui vel semel hoc dulce virus degustârunt.

REFLEXIO.

I. *ALOYSIUS externos sensus custodivit diligentissimè.* An imitor illius in loquendo modestiam, verecundiam, prudentiam? Cur tam liberè effutio, aut facilè ausculto verba indecentia, & famæ noxia alienæ? Quando tandem frænabo manus, ne toties periculosæ indulgeant sen-

ſenſualitati? Angelice Aloyſi! Tuæ curæ committo linguam, aures, & manus meas: cuſtodi, rege, & guberna, ne ullo unquam crimine animam commaculent.

II. *ALOYSIUS quàm maximè refrænavit oculos.* Quæ mea eſt oculorum modeſtia? an hos abſtraho ab aſpectibus etiam licitis, ne evagentur ad illicita? Cur tanto cum periculo contemplor vanas pulchritudines? Quid quæro curioſiùs intueri, quod citra Dei offenſam appetere non licet? Modeſtiſſime Aloyſi! doce me æternum fœdus pangere cum oculis meis, ne unquam aſpiciant vanitatem.

III. *ALOYSIUS corpuſculum innocens pœnis excruciavit acerbiſſimis.* An carnem meam ſubjicio ſpiritui, & in ſervitutem redigo? Súmne magìs tener, aut magìs innocens, quàm Aloyſius? Peccavi toties indulgendo vanis illecebris: an nunquam meritis tot ſcelera expiabo ſuppliciis? Innocentiſſime Aloyſi! impetra mihi, ut generoſo contemptu fœdas deteſter illecebras, & toties rebellem carnem crucifigam cum concupiſcentiis.

*Oratio ad S. Aloyſium pro impetranda Sanctitate externa.*

ANgelice Aloyſi! qui mirabili vitæ auſteritate ſenſus, & carnem crucifixiſti cum concupiſcentiis ſuis, Tu nôſti: quot, quantæque tentationes, & pericula per ſenſus, & carnem ſeſe penetrent in meam animam: te proinde humillimè oro, intercede pro me, ut continua mortificatione ità contineam ſenſus, & carnem meam, ne unquam aliquid agant contra legem Dei, ſed perfectè ſubjecta ſpiritui in timore, & modeſtia ſuo ſerviant Creatori. Amen.

## DOMINICA IV.

### Imitare S. Aloysium in orandi studio, & usu Sacramentorum.

*De studio orationis, & usu Sacramentorum S. Aloysii.*

STudium orationis toto pectore complexus est Aloysius. Quot diebus certas preces flexis humi genibus etiam æger absolvit. Plurium horarum spatiô, coram crucifixi imagine uberes inter lachrymas orando perstitit, modò in terram prostratus, modò brachiis expansis, aut crucis in modum ante pectus compositis. Precationibus diurnis junxit nocturnas, multam noctis partem orationi, ac cœlestium rerum contemplationi impendens. Interdiu etiam angulos, & latebras quæsivit, ut absque interpellatione perfectiùs Deo vacaret. Necessaria est in hac valle lachrymarum degentibus crebra, & fervens oratio. Nemo est qui cœlesti ope non egeat; hanc rectè orantibus promisit, & largitur Deus. Ut rectè ores, ora mente pura, & fervente, cum spe, ac fiducia, & perfecta resignatione in voluntatem Dei: sic facilè impetrabis, quod oras.

Ut pura semper mente ad Deum oraret Aloysius, primùm anteactæ vitæ labes in unum collectas generali confessione expiavit: dein singulis ferè octiduis emundavit conscientiam eodem semper arbitro usus. Non egit id obiter, aut mera consuetudine: egit inter maxima animi contriti signa, candore, ac demissione admirabili. Aperuit labeculas intimas, & minimas. Auscultavit piis monitis, & obtemperavit. Investigavit etiam in radices, & remedia erratorum, ut certiùs emendaret. Plurimos fructus adfert semel rectè peracta generalis peccatorum confessio. Anxiis remorsibus, ac du-

dubiis liberat conscientiam, & tranquillam reddit. At non diu firma stabit ea pax, nisi crebriùs dein, ac coram eodem ferè arbitro emundetur conscientia.

Purgatus ab omni nævo, ac nævi umbra Aloysius, creberrimè, & maximo cum fervore ad sacrum Convivium accessit. Hoc illi erat præcipuum pietatis alimentum, & firmissimum tutandæ innocentiæ præsidium. Modum, quo ritè sese ad hoc componeret, à S. Carolo Borromæo est edoctus; ad hoc triduò præparabat se ardore animi incredibili, & triduò grates referebat, oratione prolixa se, suáque Deo commendans. Sed & alias crebriùs inter ardentissimos actus fidei, spei, & amoris velatum sub pane Deum visitavit, & adoravit. Immensus donorum cœlestium thesaurus est frequens usus Eucharistiæ, ac devota ejusdem adoratio. Non aliàs opportuniùs necessitates tuas Deo aperies, nec exaudieris faciliùs. Si communio unica ritè peracta reddere te sanctum potest, quid poterit repetita sæpiùs?

REFLEXIO.

I. *ALOYSIUS diu, noctúque ab oratione non destitit.* An frequenter? an ferventer ad Deum oro? An principium diei, ac finem, an singula opera pio affectu eidem consecro? Solus Deus est, qui juvare me potest, & etiam vult, cur ad illum non aspiro in cunctis necessitatibus. Devotissime Aloysi! tuus in orando fervor sit mihi incitamento ad continuum, & ardens precandi studium.

II. *ALOYSIUS sincera confessione singulis octiduis emundavit conscientiam.* An pariter crebriùs, & contrito corde sacrum tribunal adeo? An conscientiæ arbitro utor constanti, & intima

cordis pando? Non puduit tot perpetrare flagitia, cur pudeat ea ritè confiteri? Tot scrupulis, ac dubiis anxia jactatur conscientia, cur non generali erratorum confessione tranquillam reddo? Ferventissime Aloysi! fac: ut te sequar sinè crimine pœnitentem, qui non secutus sum innocentem,

III. *ALOYSIUS sacro Christi Corpore crebriùs refecit animam, & adoravit Eucharistiam.* Quæ mea in Eucharisticum Numen est pietas? credo ibi præsentem esse Deum verum, & vivum, & tam raró visito, tam tepidè adoro? Tot tentationibus, & morbis animæ sum obnoxius! cur non sæpius accedo ad cœlestem medicum? ibi latent omnes thesauri gratiarum, an nunquam me reddam eorum participem? Flagrantissime Aloysi! accende in me fervorem ardentissimæ pietatis tuæ in Deum Eucharisticum, ut nunquam desinam ad illum invisere, & adorare, qui nunquam desinit misereri, & benefacere.

*Oratio ad S. Aloysium pro impetranda vera devotione.*

DEvotissime Aloysi! tu tam sublimi à Deo donatus fuisti devotionis gratiâ, ut ab omni mentis evagatione liber ferventissimè ad Deum orares, ac præcipuè Eucharisticum Numen ardentissima pietate coleres: ah! impetra mihi, ut sancto, & frequenti hujus Sacramenti usu in vera indies devotione crescam, & haustis inde gratiarum donis adjutus in Christianis virtutibus proficiam. Amen.

DO-

# DOMINICA V.

Imitare S. Aloysium in pia, & cauta conversatione cum proximis.

*De pia, & cauta cum proximis conversatione S. Aloysii.*

IN amicos, & socios, quibuscum versaretur, paucos, eósque optimos delegit Aloysius: tales scilicet, qui probitate morum, & studendi solertia præstarent reliquis. Erat ergà omnes comis, & affabilis: familiarem tamen se reddidit nemini, probè gnarus familiaritatem parere contemptum, aut vitiis præbere occasionem. Cùm loquendum esset, loquebatur modestè, cautè, ac ferè de rebus piis, aut utilibus. Hoc tantam illi apud omnes existimationem peperit, ut eo eminus conspecto solutiores sermones abrumperent, séque ad modestiam illius, & loquendi maturitatem componerent. Semper inimica fuit innocentiæ promiscua conversatio: hæc multos corrupit verbô, multos exemplô: Vix perseverabis integer vitæ, scelerisque purus, si obvii cujúsque lateri adhærescas. Cum perversis perverteris.

Quamvis indolis liberioris socios, ac illos, qui ab officiis pietatis avocant, semper vitaverit Aloysius, maximè tamen aversatus est consortium cum sexu altero. Nutricum potestati exemptus, fœminis omnibus ad se aditum prohibuit, ne quidem piissimæ matri sinè arbitris loqui volens. Si quando cum illustribus fœminis officii causâ loqui cogeretur, id brevissimè, & Angelica cum modestia agebat, compellatus idcircò pulcherrimô pudicæ Juventutis titulô: *Hostis fœminarum.* Res plena periculi est juvenum cum mulieribus conversatio. Si mergi renuis,

has ſyrenes fugias, oportet. Hic ſexus mordet blanditiis, & uno ſæpè intuitu enecat animam. Ut tua in tuto ſtet innocentia, & oculos, & aures, & manus, & mentem, & totum te abſtrahe à mulieribus.

Relaxatione, qua ſtudiis feſſum reficeret animum, ſemper uſus eſt honeſtiſſima. Pueriles nugas, jocos ſordidos, ſpectacula publica, occulta etiam conventicula fugit ut peſtes animi. Ne ſe facile ludentibus jungeret, parvulus ſuo periculo didicit, quando umbram puellæ oſculari juſſus erubuit, & ne obtemperare cogeretur, fugâ ſe eripuit. Deambulatione ut plurimum moderata, & decentibus colloquiis recreavit animũ. Quàm neceſſaria eſt ſtudioſæ juventuti animi relaxatio, tam periculoſa eſt illa, quæ verecundiæ officit; hæc mentem non tam recreat, quàm lædit. Si tibi curæ eſt integritas conſcientiæ, hanc cane magìs, & angue fugias.

R E F L E X I O.

I. *ALOYSIUS in ſocios, & amicos delegit paucos, eósque optimos.* Qui, & quales ſunt illi, quorum utor conſuetudine? an probi? prudentes? amantes innocentiæ? virtutis, & literarum? Cur adeò illorum capto amicitiam, qui libertatem ſectantur, à Deo abſtrahunt, & tot lapſuũ ſunt occaſio. Piiſſime Aloyſi! libera me à pravorum Sociorum laqueis; Te duce, manibus, pedibúsque fugiam hos fures temporis, has petras ſcandali, & peſtes iñocentiæ.

II. *ALOYSIUS maximè averſatus eſt mulierum conſortia.* An fugio modis omnibus non modò familiaritatem fœminarum, ſed & aſpectum? Quàm ago circumſpectè cum hoc ſexu periculoſo, quando id poſcit neceſſitas, aut urbanitas? Cur non pango

fœdus cum animo meo nunquam cogitandi de fœmina? Castissime Aloysi! impetra mihi gratiam imitandi Angelicam puritatem tuam, ne me ulla unquam decipiat species mulieris.

III. *ALOYSIUS mentem recreavit decenter ac piè.* An animi relaxatione semper utor honestâ? an intentione pura, & moderatione debita? Cur indulgeo jocis cum tanto innocentiæ periculo conjunctis? Nondum sat capio, momentaneum esse, quod delectat, & æternum, quod cruciat. Moderatissime Aloysi! non sine animum meum abripi à vanis mundi illecebris: illas posthac solum amabo delicias, quæ mentem recreant, & conscientiam non lædunt.

*Oratio ad S. Aloysium pro impetranda gratia sanctæ conversationis.*

MOdestissime Aloysi! qui Angelicâ tuâ modestiâ, & sanctæ conversationis exemplô plurimorum corda, & oculos ad te attraxisti, te oro humillimè: ne permittas me unquam perversæ societatis laqueis irretiri. Dirige me tot inter viæ, ac vitæ hujus corruptelas, ut cautæ, ac piæ conversationis exemplô majorem Dei gloriam, & proximorum salutem promovere semper valeam. Amen.

---

## DOMINICA VI.

Imitare S. Aloysium in cultu, & amore B. V. MARIÆ.

*De Cultu Mariano S. Aloysii.*

CUltui, ac amori Deiparæ se totum devovit Aloysius. Voluit omnem vitã Mariæ honoribus consecrare; cujus ope, ac patrocinio in ipso partu mortis periculum evasit. Amor, quô flagravit in Dei Matrem, erat tantus, ut quoties de ea loqueretur (loqueba-

tur autem frequentissimè) suavissimô gaudio colliquesceret. Interim magìs opere, quàm verbis amorem testatus est; quam enim matris instar filiali affectu semper est complexus, eidem vitâ, & moribus simillimus esse studuit. Non satìs tua in tuto est salus, nisì primas post Deum in corde tuo teneat Maria: hanc colere, & amare nota est prædestinationis: at coli, & amari maximè vult operibus, ac virtutum imitatione, absque hoc amor otiosus est, nec Deo gratus, nec Mariæ.

In periculis, in tentationibus, in cunctis necessitatibus cum fiducia ad Mariam confugit Aloysius. Hoc præcipuè ad filium pertinere existimabat, nunquam non clamare ad Matrem. Per hanc obtinuit, quòd ab impuris tentationibus semper liber fuerit, & nunquam peccato gravi maculaverit conscientiam; ex hac intellexit vocationis suæ lumen: quando voce clara, miniméque dubia in Societatem JESU est vocatus. Omnia scilicet Deus nos habere voluit per Mariam: hæc salutis nostræ anchora, & post Deum maximum est refugium miserorum. Non derelinquet te, neque despiciet, nisì priùs à te neglecta, vel derelicta.

Non satìs erat Aloysio tota contentione amare, colere, & imitari Mariam: in aliis insuper hanc flammam accendere, quàm potuit, maximè laboravit. Quemadmodùm ad horrorem peccati, & vitanda innocentiæ pericula, ità ad cultum, amorémque Deiparæ reliquos excitavit, præprimis Rudolphum, & Francilcum fratres, tum domesticos omnes, coram quibus & laudes Mariæ prædicabat assiduè, & modos eam colendi depromebat. Receptus in cordis intima Mariæ

amor

amor ignis eſt nunquam quieſcens: continuò ſerpit ultra, & quidquid poteſt, in flam̃am convertit ſuam. Si verè Mariam amas, non ceſſabis laborare apud alios, ut & illi ſemper flagrent puro, & ſincero amore Mariæ.

REFLEXIO.

I. *CUltui, & amori Deiparæ ſe totum devovit Aloyſius.* An poſt Deum peculiari cultu, & amore proſequor Mariam? Quibus operibus pietatis illam colo quotidie? qua pietate celebro feſtos Mariæ dies? Hæc mea, & fidelium omnium Mater eſt: An vita, & moribus me probo Mariæ filium? Ah! quando tandem imitari ſatagam admirabilem illius innocentiam, pietatem, modeſtiam, demiſſionem animi, manſuetudinem, patientiam? Amore Deiparæ flagranti me Aloyſi, fac, ut ſemper ardeat cor meum amore Mariæ, amore ſcilicet illo, qui me totum rapiat in virtutum illius pulcherrimarum imitationem.

II. *IN omnibus ſuis neceſſitatibus ad Mariam confugit Aloyſius.* Quæ mea in Dei Matrem ſpes eſt, ac fiducia? Hæc eſt Mater gratiæ, & Mater miſericordiæ: cur ad illam non aſpiro in corporis, & animæ neceſſitatibus? Vix conſequar ſalutem absque tutela Mariæ: & tamen tam rarò, & ſegniter illam invoco. Devotiſſime Aloyſi! Utinam tuô exemplô mihi prima poſt Deum ſpes ſit pia, clemens, & dulcis Virgo Maria.

III. *ALOYSIUS Mariæ cultum apud alios continuò auxit, & promovit.* A puero usque nunc, tot beneficiis me cumulavit Maria: & ego tam parum ago ad amplificandam illius gloriam? Non deſunt tot, & tam opportunæ occaſiones inſtillandi aliis Mariæ amorem, ſeu verbô,

ſeu

ſeu exemplô: cur his non utor magis? Non ſum ſincerus Mariæ filius: nisì matris meæ honorem pro viribus augeam. Mariani honoris zelantiſſime Aloyſi! fac, ut nunquam ceſſem amare, prædicare, & laudare Mariam. Hoc ſanctum, & Venerabile Nomen ſit in corde, ſit in ore, nunc, & in hora mortis meæ.

*Oratio ad S. Aloyſium pro impetrando fervore in cultû, & amore Mariæ.*

MAriani cultûs zelantiſſime Aloyſi! oro te per ferventem illum amorem, quo Mariam ſemper ùt Matrem amâſti, excita in corde meo filialem in Dei Matrem fiduciam, & affectum, ut poſt Deum primô locô ſemper amem Mariam, hanc laudem, huic ſerviam, hanc imiter, ad hanc recurram in omnibus meis neceſſitatibus. Denique impetra mihi gratiam ſub tutela Mariæ ſemper piè vivendi, & beatè moriendi. Amen.

*AFFECTUS*

*Ad S. Aloyſium quotidie tempore devotionis repetendus.*

INnocentiſſime Aloyſi! in tuam ego me commendo tutelam, ne deſpicias tui amantiſſimum. Te, dulciſſime Aloyſi! obſecro, ut omne, quod divinis, & tuis in me diſplicet oculis, te auxiliante emendem. Auxiliare, deſideratiſſime Aloyſi! ut tuarum virtutum ſim ſedulus, & conſtans imitator, tu mihi in illis ſis incrementum, norma, & magiſter. Infunde, ſuaviſſime Aloyſi! aliquas tuæ devotionis in cor meum guttulas, ut remotis impedimentis divinæ vacem contemplationi. O Angelice Aloyſi! impetra mihi à Domino JESU, & Virgine Maria, ut pura mente, vitáque tibi ſimili, illis, & tibi gratus reliquum vitæ meæ tempus tranſigam.

gam. Nec me deseras ô amantissime Aloysi! in mortis hora, sed tuâ mihi adsis dulcissimâ præsentiâ defendens me ab omni periculo animæ, ut B. V. Mariâ, Angelo Custode, te, omnibúsque Sanctis comitatus, tua, illorúmque intercessione ab omni macula purgatus divino sistam me tribunali, & cum omnibus Sanctis, Creatorem meum laudem in æternum. Amen.

---

# OFFICIUM S. ALOYSII GONZAGÆ, Societatis JESU.

## AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

GOnzaga, salve flosculе<br>
Favore Virginali,<br>
Prognate flos tenellule<br>
De stirpe Principali,<br>
Te luna Martis edidit,<br>
Te Martiale sidus,<br>
Orbíque te concredidit<br>
Sol, cùm teneret Idus.

℣. Dominus ab utero vocavit me.

℣. Ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.

*Oratio*

DEus, qui famulum tuum, B. Aloysium ad majorem Nominis tui gloriam in Societatem Filii tui vocare dignatus es: largire quæsumus, ut, cujus Angelicam puritatem veneramur in terris, cjus gloriæ participes fieri mereamur in cœlis. Per Christum Dominum, &c.

AD

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium, &c. *ùt ſupr.*

*Hymnus.*

QUem te vocabo? vernulam
Num Tulipam colore?
Violámne, veris gemmulam
Caſto fragrantem odore?
Utraque flos eſt Virginis,
Flos eſt uterque Floræ,
Gonzaga tu Propaginis
Cujus flagras amore.

℣. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.

℟. Lectulus noſter floridus.

*Oratio.* Deus, qui famulum tuum, &c. *ùt ſuprà.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c. *ùt ſupr.*

*Hymnus.*

GOnzaga vix hunc hortulum
Orbis ſubis, tenellis
Mox ſanctiorem floſculum
Fers Numinis labellis:
Quando Mariam, & Jeſulum
Sic nominas biennis,
Ut orbis in miraculum
Oraveris triennis.

℣. Iſte puer meus electus.

℟. Poſui ſuper eum ſpiritum meum.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ùt ſupr.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c. *ùt ſuprà.*

Oremus.

JESU, & Mariæ literas
De more Tuliparum,
In cor tuum transmiſeras,
Ut quinque Literarum
Mox ſyllabas adnecteres,
Illísque ſanctiores,
Orationes flecteres,
Versúsque caſtiores.

℣. Ex ore infantium, & lactentium.

℟. Perfeciſti laudem tuam.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ùt ſupr.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c. *ùt ſuprà.*

*Hy-*

*Hymnus.*

UNdenne major paululum,
Hortum tuum colebas,
Et suaviorem flosculum,
Cor ut daret volebas,
Quare supremo Numini
Vovere castitatem
Audes, sacræque Virgini
Offerre puritatem.

℣. Cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum Patris sui David.
℟. Et duodecimo anno mundavit Judam, & Jerusalem. *Paral.* 4.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ùt supr.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

INserta vix hæc plantula
In corde seminatur
Gonzagæ, & ore blandula
Rosa inde procreatur:
Quæ blandientis Cypridis
Ne fraudibus pateret,
Spernis jocos Adonidis,
Ut castior lateret.
Hinc taureis, hinc funibus,
Calcaribus, catenis,
Se se induit, ceu vepribus,
Ut obviet venenis.
Nec sat: cruore proprio
Apud Patrem perorat,
Jesúque sub tentorio
Latere flos hic orat.

℣. Ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum. *Esd.* 4.
℟. Lilium inter spinas. *Cant.* 2.

*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ùt sup.*

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster,
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutor. &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

TRansfertur ergo patria
Gonzaga flos ab æde,
Romanæ in urbis atria:
Sed sæviente fœdè
In urbe pestilentia,
Dum gnaviter ministrat

Ægris,

Ægris, febris constantiâ
Victus, sub astra migrat.
℣. Cùm liber essem, omnium me servum feci.
℟. Mihi vivere Christus, & mori lucrum.
*Oratio.* Deus, qui famulum, &c. *ut sup.*

*Commendatio.*

O Flos amice Numini,
O gemma Tuliparum:
Infense flos cupidini,
Splendor, decus rosarum!
O castitatis Lilium
Gonzaga, digne cœlo,
Da, da tuorum insignium
Nos æstuare zelô:
Da, da superna quærere,
Ridere cuncta vana;
Terrena da contemnere,
Vitare da profana.

LITANIÆ DE S. ALOYSIO.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria Regina Angelorum, Ora pro nobis.
S. Maria Regina Virginum, ora.
S. Aloysi, ora.
S. Aloysi Juvenis prudentissime, ora.
S. Aloysi Juvenis Angelice, ora.
S. Aloysi Juvenis modestissime, ora.
S. Aloysi diligentissime Imitator B. V. Mariæ, ora pro nobis.
S. Aloysi amator pauperum, ora.
S. Aloysi contemptor mundi, ora.
S. Aloysi tui corporis osor, ora.
S. Aloysi inter voluptates castissime, ora.
S. Aloysi inter honores humillime, ora.
S. Aloysi sinè distractionibus orans, ora.

S. Aloy-

S. Aloysi semper florens in gratia, ora.
S. Aloysi semper crescens in virtute, ora.
S. Aloysi semper ardens charitate, ora.
S. Aloysi custos tuorum sensuum, ora.
S. Aloysi venerator Vulnerum Christi, ora.
S. Aloysi à turpibus cogitationibus semper liber, ora.
S. Aloysi à stimulis carnis semper immunis, ora.
S. Aloysi verus pugil Christi, ora.
S. Aloysi Dux viatorum, ora.
S. Aloysi Consiliarie dubitantium, ora.
S. Aloysi Conciliator pacis inter inimicos, ora pro nobis.
S. Aloysi defensor pugnantium, ora.
S. Aloysi terror dæmonum, ora.
S. Aloysi salus infirmorum, ora.
S. Aloysi restitutor memoriæ, ora.
S. Aloysi lumen cœcorum, ora.
S. Aloysi pes claudorum, ora.
S. Aloysi leprosorum mundator, ora.
S. Aloysi mortuorum suscitator, ora.
S. Aloysi gloria Principum, ora.
S. Aloysi Religiosorum speculum, ora.
S. Aloysi Juventutis exemplar, ora.
S. Aloysi Idæa perfectionis, ora.
S. Aloysi decus Societatis Jesu, ora.
S. Aloysi defensor innocentiæ, ora.
S. Aloysi Martyr incognite, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

℣. Iste

℣. Iste est beatus, qui contempsit vitam mundi.
℟. Et pervenit ad regna cœlestia.
℣. Domine exaudi orationem meam, &c.
℣. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui B. Aloysium per totum vitæ tempus ab omnium turpium cogitationum, & mortiferæ culpæ macula liberâsti, ut perfecto tibi amore deserviret: quæsumus: ut nos similes ei facias munere, & amore. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

*Oratio ad Sanctum Aloysium.*

INnocentissime Aloysi! ego indignissimus famulus, ac cliens tuus totam corporis, & animæ meæ puritatem, omniáque vitæ negotia specialiter tibi commendo. Rogo te per Angelicam puritatem tuam, ut me Jesu Christo Agno immaculato, ejusdémque Matri Virgini commendare digneris, & ab omni graviore peccato custodire. Ne permittas me ulla unquam impuritatis labe fœdari: sed quamprimùm in tentatione, & peccandi periculo constitutum me videris, abige procul à corde meo cogitationes, & affectus omnes immundos, & injectâ memoriâ æternitatis, & Christi crucifixi, imprime mihi medullitus sensum timoris Domini, & Divini amoris in me ignem accende. Amen.

*Alia Oratio ad S. Aloysium Gonzagam.*

O Beatissime Aloysi, in tuam ego me commendo tutelam, ne despicias tui amantissimum. Te dulcissime Patrone Aloysi obsecro, ut omne, quod Divinis, & tuis in me displicet oculis, te auxiliante emendem. Auxiliare ô desideratissime Aloysi, ut tuarum virtutum sim sedulus, & constans imitator; tu mihi in illis sis incre-

crementum, norma, & magister. Infunde ô Aloysi suavissime! aliquas tuæ devotionis in cor meum guttulas, ut remotis impedimentis divinæ vacem contemplationi. O Angelice Juvenis Aloysi! impetra mihi à Domino, & Virgine Maria, ut pura mente, vitáque tibi simili, illi, & tibi gratus reliquum vitæ meæ tempus transigam. Nec me deseras ô amantissime Aloysi! in mortis hora; sed tua mihi adsis dulcissimâ præsentiâ, defendens, & conservans me ab omni periculo animæ, ut B. V. Maria, Angelo Custode, te, omnibúsque Sanctis comitatus, tua, illorúmque intercessione purus ab omni macula effectus, lætus divino me sistam tribunali, tecúmque mihi dilectissimo, & cum aliis omnibus sanctis, Creatorem meum laudem in æternum. Amen.

*Antiph.* Dilectus meus mihi, & ego illi, qvi pascitur inter lilia.

℣. Oleum effusum, Aloysi, nomen tuum.
℟. Adolescentuli dilexerunt te nimis.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui B. Aloysium in societate Filii tui Jesu, gratiâ contemplationis, & sanctimoniæ candore admirabili exornâsti: præsta quæsumus, ut ejus celebrantes memoriam, apud te, tui exactam Nominis cognitionem: & puritatis inviolabilem assequamur gratiam. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Alia Antiphona.*

O Quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cùm præsens est, imitantur illam, & desiderant eam; cùm se eduxerit, in perpetuum coronata triumphat, in-

coinquinatorum certaminum præmium vincens.

℣. O quàm pulcher es dilecte mi Aloysi.

℟. Nam macula nulla est in te.

Oremus.

O Beatissime Aloysi, sancte adolescens, ô magne mundi victor, atque contemptor; quem purissimis castitatis insignitum liliis, omnes homines lætabunda voce decantant, atque commendant. Obsecro te toto cordis affectu, impetra mihi, quod potes, à Deo, purissimæ castitatis, & perfectæ humilitatis sinceritate, Jesu Christo Domino meo in sua sanctissima Societate deservire. A.

*Alia Antiphona.*

In cœlis neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.

℣. Quàm pulchra est casta generatio

℟. Cum claritate.

Oremus.

DEus, qui B. Aloysium, famulum tuum per totum vitæ tempus ab omnium turpium cogitationũ, & mortiferæ culpæ macula liberâsti; ut perfecto tibi amore deserviret; quæsumus, ut nos similes ei facias munere, & amore. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

# OFFICIUN PARVUM S. STANISLAI KOSTKÆ.

AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve Beate Kostkule,
Gentis jubar Polonæ,
Et Patriæ carbuncule
Fulgentior coronæ:
Tu Sarmatarum gloria,

Tu

Tu splendor es juventæ,
Tu Lechicæ victoriæ
Es auctor incruente.
℣. Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum.
℟. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

Oremus.

DEus, qui per Angelicas manus B. Stanislaum Kostkam sacro Christi corpore, satiâsti; concede propitius: ut à te in libro vitæ descripti, semper in amore tuo ejus intercessione crescamus. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve, cui dum Tartara
Emissa per latebras
Illuderent, hæc Barbara
Abegit in tenebras,
Et Angelicum ferculum,
Missúmque ab axe panem,
In pane, Jesu corculum
Morbi dedit levamen.
℣. Cibavit eum ex adipe frumenti.
℟. Et de petra, melle saturavit eum. *Psal.* 80.
*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve, cui dum clinico
Affixa membra lecto
Hærent, resurgunt illico
Omni malo retecto:
Cùm nempe Kostkæ Jesulum
In lectulo locavit,
Suúmque Virgo servulum
A morte liberavit.
℣. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.
℟. Tenebo illum, & non dimittam.
*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor, &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Salve, cui post redditam
Maria sanitatem
Hæc verba fert, ut debitam
Sequâre sanctitatem:
Vis Kostka Jesum sedibus
Cœlestibus videre?
Ignatii fac ædibus,
Signísque, te tuere.

℣. Euge dilecte mi, fuge super montes aromatum.

℟. Et obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.

*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

## AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus*

Audit fidelis servulus
Matrem Dei docentem,
Audit, nec ultrà sedulus
Differt sequi monentem:
Sed purpuram pro vilibus
Permutat inde pannis:
Seséque vulgi risibus
Exponit, atque sannis.

℣. Auditu auris audivi te.

℟. Et egenus factus sum, cùm essem dives.

*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

## AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Salve, cui nec lachrymæ
Patris, fugam retardant,
Nec patriæ spes maximæ,
Assumpta vota tardant;
Nam Jesuli stipendiis
Eò usque militâsti,
Ignatii compendiis
Dum sidera involâsti.

℣. Extraneus factus sum fratribus meis.

℟. Et peregrinus filiis Matris meæ. *Psal* 61.

*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

## AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAlve supernæ patriæ
Tandem tecepte civis.
Qui sempiternæ gloriæ
Felicitate vivis.
Salve, tuúmque cœlitus
Sic protegas clientē,
Ut sortiar divinitus,
Quam quæro habere, mentem.

℣. Trahe me post te.
℟. Et curram in odorem unguentorum tuorum.
*Oratio.* Deus, qui per Angelicas, &c.

*Commendatio.*

HÆc, hæc tuis honoribus
Inscripta carpe vota,
His te meis dum floribus,
Et mente laudo tota:
Nec me priùs præoccupet
Æternitatis hora,
Quàm corda panis recreet
Cœlestis, adlabora.

*Hymnus ad S. Stanislaum Kostkam.*

SAlve, ô caste Candor puritatis,
Intemerate flos Virginitatis!
Tuum dum corpus purum conservatur,
Vultúsque cœli luce illustratur.
Lumina ista monstrant radiorum,
Non cinctam mentem nube peccarorum.
Decuit corpus ità illustrari,
Nescium noxa morrali gravari.

℣. Quasi flos rosarum in diebus vernis.
℟. Et quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.
℣. Ora pro nobis beatissime Kostka.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

JEsu Virgineæ castitatis Amator, & Auctor; qui B. Stanislaum Kostkam immaculatum in hoc sæculo custodisti: concede propitius, ut, qui ejus memoriam propter te, qui inter spiritualia lilia libenter pasceris, reco-

limus: ejus precibus, ac meritis, intactam à mundi illecebris animam, ac corpus pro tuo domicilio semper servemus. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*Oratio de B. Joanne Francisco Regis.*

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores B. Joannem Franciscum, Confessorem tuum, mirabili charitate, & invictâ patientiâ decorâsti: concede propitius, ut, ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjuti, æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum, &c.

---

# OFFICIUM PARVUM SS. TRIUM MARTYRUM JAPONENSIUM, JOANNIS, PAULI, & JACOBI, Societatis JESU.

AD MATUTINUM.

Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

℣. DOmine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Hymnus.*

FOrtes averte milites,
Quorum cruore Japones,
Et purpurascit inclytæ
Ager ferax Ecclesiæ.
Vestro hunc rigate sanguine,
Terrámque cordis aridam;
Fœcunda fructus proferat,

Quos

Quos horreis cœli
inferat.

*Antiph.* Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ; visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

℣. Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini Nostri Jesu Christi:

℟. Per quem nobis mundus crucifixus est, & nos mundo.

Oremus.

DEUS, qui Beatos Martyres tuos Joannem, Paulum, & Jacobum, Martyrii gloriâ decorâsti, concede quæsumus; ut, quorum gloriæ coronam in cœlis veneramur, eorum fortitudinis exemplum, & passionis constantiam imitemur in terris. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

OLata amoris viscera!
O charitatis pectora!
Quæ non Tyranni vincula
Stringere valent, aut verbera.
Per vestra solvi Vincula
Nexus rogamus criminum,
Mens ut beatis libera
Cœli fruatur sedibus.

℣. Nos autem oportet gloriari, &c. *ut supr.*

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus,*

AD carceres, ad Judices
Læti trahuntur Martyres,
In vinculis, in carcere
Deum fatentur jugiter.
Confessione supplices
Vestra precamur Martyres,
Numen, quod ore credimus,
Nostris feramus moribus.

℣. Nos autem oportet gloriari in Cruce Domini, &c. *ut suprà.*

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

FAme premuntur viscera,
Sitíque fauces asperâ,
Cœli tamen mens gaudiis
Solatiísque pascitur.
Sitim, famémque pellite,
Maña supremum promite,
Vitæ perennis rivulos
Desideratos fundite.

℣. Nos autem oportet gloriari, &c. *ùt supr.*

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

NAres, & aures impie
Tibi Tyranne tollito.
Mens verba Sponsi percipit,
Melósque gratum personat.
Vitæ relictis gaudiis,
Christo vocanti obtemperat:
Mundus vilescit, desipit,
Christúsque solus perplacet.

℣. Nos autem oportet gloriari, &c. *ùt supr.*

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

GRatam Deo se victimam
In stipite Crucis consecrant.
Ut veriores Asseclæ
Christi sui sint Principis.
Nobis supremo à Numine
Constantiam deposcite.
Crucem ut feramus alacriter
Ad usque finem fortiter.

℣. Nos autem oportet gloriari, &c. *ùt supr.*

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

O Gloriosi Martyres!
Vestrum polorũ Principi

Cruo-

Cruore fuſo ſpiritum;
Qui reddidiſtis ultimum
Cor noſtrū amoris ſpiculo
Offerte Chriſto ſaucium;
In ſpiritu vitæ ultimo,
Opémque nobis mittite.

℣. Nos autem oportet gloriari, &c. *ut ſup.*

*Commendatio.*

HOc gratulamur carmine
Vobis triumphum Martyres.
Et purpuratam ſanguine
Vobis favemus lauream.
Vitæ peracto termino,
Veſtro, omniúmque Cœlitum
Ut perfrui conſortiô
Nobis liceat in ſæcula. Amen.

℣. Orate pro nobis beati Martyres.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

OMnipotens æternes Deus, qui ſervis tuis Paulo, Joanni, & Jacobo in Societatem filii tui vocatis, Apoſtolicum ſtudium in Gentium converſione, & Hæreticorum reductionem inſpirâſti, ídque Martyrii gloriâ decorâſti, concede propitius; ut ipſis, & Paſſionis Socii in hoc mundo, & conſolationis deinde in æterna beatitudine eſſe mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

# CULTUS SS. VIRGINUM, ET VIDUARUM.

## OFFICIUM PARVUM DE S. CATHARINA Virgine & Martyre.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutor. &c. Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Ave Virgo Catharina,
Ave Martyr, & Regina,
Ave Sponsa Christi vera,
Ave mitis, & sincera;
Ave Virgo Deo digna,
Christo prece me consigna.
Preces audi, juva votum,
Cor in bono sit immotum.

*Antiph.* Hæc est Virgo sapiens, & una de numero prudentum; quam Dominus vigilantem invenit.

℣. Ora pro nobis sancta Catharina.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai, & in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus Beatæ Catharinæ Virginis, & Martyris mirabiliter collocâsti, præsta quæsumus, ut ejus meritis, & intercessione, ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

CHriftus faxit cor contritum:
Regat vifum, & auditum.
Regat guftum, & olfactum,
Per te Virgo regat tactum:
Ut in cunctis, te petente,
Vivam DEO pura mente.
Nec à vitiorũ tabe, aut peccati fœder labe.

*Antiph.* Hæc eft Virgo fapiens, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Deus, qui dedifti, &c.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

O Beata Catharina!
Babylonis de fentina.
Juva rapi me clientem,
Chrifto præfta fervientem.
Chriftum pro me fac appella,
Salvet mortis de procella.
Tua prece exoratus,
Votô tuô imploratus.

*Antiph.* Hæc eft Virgo fapiens, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio ùt fup.* p. 298.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SUperare juva mundum,
Ne demergar in profundum:
Ne permittar naufragari
In peccatis, in hoc mari:
Virgo Dei nunc memento
Quo labore, quô tormentô
Regnum Dei meruifti,
Et fic cœlos afcendifti.

*Antiph.* Hæc eft Virgo fapiens, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio ùt fup.* p. 298.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

IN confpectu Virgo Dei
Memor efto, precor, mei;

Memor esto suppli-
cantis,
Ut de malis lever
tantis.
In peccatis constitu-
tus,
Mille malis involu-
tus,
Per te precor expe-
diri,
Vellem scelus impe-
diri.
*Antiph.* Hæc est Vir-
go sapiens, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio ut sup.* p. 298.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

TU me vise tunc in-
firmum,
Fac, ut Christus fa-
xit firmum.
Agonista Dei fortis
Esto præsens horâ
mortis:
Decumbentem fove,
leva,
Fac de morte salver
sæva;
Ut resurgam novus
homo,
In cœlesti civis do-
mo.
*Antiph.* Hæc est Vir-
go sapiens, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Deus, qui de-
disti, &c.

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus
salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam
à nobis.
℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

CUm postrema venit
hora,
Adsis Virgo tunc de-
cora,
Non me duplex mors
infestet,
Jesus Christus illud
præstet;
Idem Pater, idem
Natus
Det, Mariæ dulcis
Gnatus:
Idem donet summum
Flamen,
Quod cum illis re-
gnat. Amen.
*Antiph.* Hæc est Vir-
go sapiens, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Deus, qui de-
disti, &c.

*Hymnus ad Sanctam Catharinam.*

GAude Virgo Catha-
rina,

Quam

Quam refecit lux divina
Ter quaternis noctibus.
Gaude, quòd tuâ doctrinâ
Philosophos à ruina
Traxisti, & erroribus,
Gaude, quia meruisti,
Confortari voce Christi,
Per preces divinitus.
Gaude, quia convertisti
Sponsam Regis, & vidisti
Rosas fractas cœlitus.
Gaude sertis coronata,
Et in Syna venerata
Olei stillamine.
Esto nobis Advocata
Apud Deum, Virgo grata,
In nostro certamine.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus: ineffabilem misericordiam tuam suppliciter deprecamur; ut sicut liquor de membris beatæ Virginis, & Martyris tuæ Catharinæ jugiter manans, languidorum corpora sanat: sic ejus sancta oratio à nobis omnes iniquitates expellat: graves tentationes, & impugnationes dæmonis compescat, omnia mala à nobis avertat: in bono confortet, certantes in agone confirmet; & feliciter ex corpore hoc mortali egressos, tuæ Majestati in regno cœlorum præsentet. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

*Oratio ad S. Catharinam pro profectu in Literis.*

O Sancta Catharina Virgo, & Martyr, Christi Sponsa fidelissima! rogo te per illas gratias, & favores speciales, quibus te prævenit dulcissimus Sponsus tuus JESUS; ut superatis Tyranni lenociniis, sapientiâ tuâ quinquagenos vinceres Philosophos, cósque

que cœlesti imbutos doctrina, ad veræ fidei lumen perduceres: impetra mihi cum cœlesti temporalem quoque sapientiam, ut devictis infernalis Tyranni fraudibus, mundique, & carnis blanditiis, aptum Divinæ gloriæ, fideique Catholicæ propagandæ instrumentum evadam, ac tandem tecum, Jesum Ducem nostrum laudem, & benedicam in omnem æternitatem. Amen.

---

# OFFICIUM PARVUM DE S. BARBARA VIRGINE, ET MARTYRE.

## AD MATUTINUM.

℣. DOmine labia mea aperies.
℟. Et os meum annunciabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

COeperat solis jubar albicare,
Cœperat terris radiare lumen;
Inter, & circum penetrale cordis
Barbara sensit.
Sint tibi grates Pater, atque laudes,
Nulla te Fili taceat vetustas,
Spiritûs Sancti penetret per omnes
Gloria terras.

*Antiph.* O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines.
℣. Ora pro nobis sinè mora S. Virgo Barbara.
℟. Ut simus digni ex hac hora semper Christi gratiâ.
℣. Domine exaudi, &c.

Oremus.

OStende nobis Domine, quæsumus, tuæ pietatis misericordiam, quam in sancta Virgine, & Martyre tua Barbara piè, & misericorditer ostendisti: ut ipsius precibus, & meritis,

ritis, à subitanea, & improvisa morte liberemur, & ante diem, & horam exitûs nostri, tui sacratissimi Corporis, & Sanguinis, sacræq; Unctionis Sacramentis salubriùs muniamur, eáque intercedente ab omni hostium incursu protegamur, & ad te pia devotione, & lætitia perducamur. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

PLenus irarum Pater, & Deorum
Filiam sævum rapit ad tribunal,
Urget, ut supplex veneretur aras
Filia thure.
Barbaris quamquam cruciata pœnis,
Non tamen jussis gerit obsequelam:
Stat suis verbis, fideíque leges
Barbara servat.
Sint tibi grates, &c.

*Antiph.* O quàm pulchra, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Ostende nobis, &c.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

SAcra cùm Virgo venit ad tribunal,
Impius Judex tonat inter enses,
Audet in veræ Fidei parentem
Fundere probra.
Nî Jovem Virgo precibus fatiget,
Impius Judex gladium minatur:
Virgo sed flocci facit imperatum
Judicis ensem.
Sint tibi grates, &c.

*Antiph.* O quàm pulchra, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Ostende nobis, &c.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

VIrgo Divorum sacra cùm tuetur,
Nuda crudeli laceratur ictu.
Manat à membris cruor, & cruore
Terra madescit.

Acri-

Acriter quamvis laniata Virgo,
Non tamen mentem laniata mutat,
Carcerem visit Deus, & medelis
Vulnera curat.
Sint tibi grates, &c.
*Antiph.* O quàm pulchra, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Ostende nobis, &c.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Sit licet Virgo satiata pœnis,
Non tamen pœnis saturata mens est
Judicis; ferrum jubet expediri
Judicis ira.
Virginis ferrum venit in mamillas,
Virginis flammæ veniunt in artus,
Virginis pugnô quatiuntur ora,
Numinis ergo.
Sint tibi grates, &c.
*Antiph.* O quàm pulchra, &c.
℣. Ora pro nobis, &c.
*Oratio.* Ostende nobis, &c.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutor. &c.
Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Ave Martyr gloriosa
Barbaráque generosa,
Paradisi vernans rosa
Castitatis lilium.
Ave Virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota,
Dulcis, mitis, & devota,
Vas Virtutum omnium.
Ave criminis ignara,
Sponsum audis voce clara,
Veni pulchra, veni chara,
Veni, coronaberis.
Ave Barbara serena,
Pulchra quasi Luna plena,
Singulari cantilena
Sponsum Agnum sequeris.
Ave Barbara beata,
Quæ cum sponso præparata,
Nuptiarum adoptata
Introisti gaudia.
Ave fulgens margarita
In corona Jesu sita,

Tam

Tam in morte, quàm in vita
Sis nobis propitia. Amen.

*Antiph.* O quàm pulchra, &c.

℣. Ora pro nobis, &c.

*Oratio.* Ostende nobis, &c.

AD COMPLETOR.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adjutorium meum, &c.

Gloria Patri, &c.

*Hymnus.*

Virgo, crudelis Patris icta ferrò,
Virgo mortali spoliata vita,
Auget astrorum sacra tecta, donis
Auget & orbem.
Membra nam servat tumulata mundus,
Spiritus verò nitet inter astra,
Et serenata sinè fine cernit
Numinis ora.
Sint tibi grates, &c.

*Antiph.* O quàm pulchra, &c.

*Oratio.* Ostende nobis, &c.

*Oratio ad S. Barbaram.*

Supplico tibi sanctissima Virgo, & Martyr Christi Barbara, ut subvenias mihi famulo tuo in omnibus necessitatibus, & angustiis meis; ad te enim suspiro, ad te oculos meos, & cor meum dirigo; te mihi in Advocatam eligo, tuæ protectioni animam, & corpus meum committo. Tu clementissima Virgo, esto mihi indigno famulo tuo in tribulatione solatium, in omni perturbatione refugium. Circumda me tuæ defensionis muro inexpugnabili, contra omnes inimicos meos visibiles, & invisibiles, & contra omnia pericula corporis, & animæ, & esto mihi auxiliatrix specialissima apud misericordem Deum, ut non secundùm merita mea sinat me puniri, sed per tuum interventum consequi merear, tecum in cœlestibus gaudere. Amen.

O San-

O Sanctissima Virgo Barbara! quodcunque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites. Adjuva me miserum ne in peccatis moriar. Effectum tunc habeat tua intercessione, primitus à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus sanguine tuo consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo, virgineus collo tuo exuberans sanguis, recordetur ardentissimæ tuæ charitatis; nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confessione expiatam, & sanctissimô Eucharistiæ Sacramentô refectam. Amen.

*Hac Oratione Henricus Koch ad ossa usque exustus, obtinuit esse superstes, usque dum confiteretur, & communicaret.*

*Hymnus de S. Rosalia Virgine contra Pestem.*

AVe Rosa sinè spina
Contra pestem medicina.
Rosalia Dux inclyta,
Recèns à mundo cognita.
Exemplum secuta Christi,
Mundum relinquens, sprevisti.
Quidquid Pater offerebat,
Quidnuid Aula promittebat.
Ad montana procurristi,
Specum ferrô pertudisti,
Monitorem ut haberes
Propofiti, quem videres.
Angeli te docuerunt,
Modum novum ostenderunt,
Quô Deo preces solveres,
Rosas fragrantes mitteres.
Antrum, cœlum habuisti,
In quo Christum conspexisti,
Apostolis comitatum,
Angelis, Matre, stipatum.
Ab hoc coronâ donata,
Ad nuptias invitata,

Ter-

Terras libens reli
quisti,
Cœlum felix introi
sti.
Tua sacra post hæc
ossa
Nulla unquam texit
fossa,
Sed rupes aquam ju-
giter
Stillans, occlusit for-
titer.
Post tot sæcla reve-
lata,
In Patronam orbi da-
ta:
Contra pestem nobis
fave,
Dum tibi sonamus
Ave.
Laus, honor sit Ma-
jestati,
Uni-Trinæ Deitati,
Rosaliam exaltanti,
Pestem per eam se-
danti. Amen.

*Antiph.* Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Oremus.

DEus, qui corpus Famulæ tuæ B. Rosaliæ Virginis, post tot sæcula intra montes inventum, contra sævientem pestilentiam sacrum amuletum fidelibus tuis esse voluisti, præsta supplicibus tuis: ut, qui sacras ejus reliquias colimus, & commemoratione lætamur, ejus quoque intervenientibus meritis, à præsentibus periculis, & a malo pestilentiæ liberemur. Per Dominum nostrum, &c.

*Hymnus ad S. Apolloniam V. & M. contra dentium dolorem.*

VIrgo Dei egregia,
Pro nobis, Apol-
lonia,
Funde preces ad Do-
minum,
Ut tollat omne no-
xium,
Ne pro reatu crimi-
num,
Morbô vexemur den-
tium,
Sed sanitate corpo-
ris
Gratulemur, & ca-
pitis.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, & regna.

Ore-

Oremus.

DEUS, pro cujus ſanctiſſimi nominis honore, beata Apollonia Virgo, & Martyr glorioſa, amaram, & horribilem dentium excuſſionem ſuſtinuit: præſta quæſumus; ut, qui ejus memoriam pia devotione frequentant, à tetro dentium dolore immunes cuſtodias: & poſt hujus vitæ ærumnas ad beatæ Patriæ gaudia perducas. Per Christum Dominum noſtrum. Amen.

*Hymnus de S. Lucia, V. & M. contra oculorum dolorem.*

O Lucia! poſt tormenta,
Et tot erebi inventa,
Contra tenellam Virginem.
Inter ignes, atque picem,
Cæcam rides mundi vicem,
Et ſtygis Tyrannidem.
Inter fœdos Orci manes,
Semper caſta Virgo manes,
Nec è loco mobilis:
Tandem guttur perforata,
Sponſa cœli præparata,
Tuo Sponſo redderis.
Per hæc tua ſancta facta,
Oculorum lux intacta
Ut ſit nobis, impetra
A dilecto tuo JESU,
Et à meo dulci JESU,
Qui eſt mundi gloria.

*Antiph.* Columna es immobilis Lucia, ſponſa Christi: quia omnis plebs te expectat, ut accipias coronam vitæ, alleluja.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oremus.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de beatæ Luciæ Virginis, & Martyris tuæ feſtivitate gaudemus, ità ipſa auxiliante, piæ devotionis erudiamur affectu, & à nocivo oculorum noſtrorum præſervemur malo. Qui vivis, & regnas, &c.

Hy-

*Hymnus de S. Maria Magdalena.*

PAter superni luminis,
Cùm Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Gelúque solvis pectoris.
Amore currit saucia
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, & ore lambere.
Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites:
Pellit timorem charitas.
O vera, Christe, Charitas!
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratiâ,
Tu redde cœli præmia.
JESU medela vulnerum,
Spes una Pœnitentium;
Per Magdalenæ lachrymas,
Peccata nostra diluas.
Dei Parens piissima,
Evæ nepotes flebiles,
De mille vitæ fluctibus,
Salutis in portum vehas.
Uni Deo sit gloria,
Pro multiformi gratia;
Peccantium qui crimina
Remittit, & dat præmia Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oremus.

BEatæ Mariæ Magdalenæ, quæsumus Domine, suffragiis adjuvemur: cujus precibus exoratus, quatriduanum Fratrem Lazarum vivum ab inferis resuscitâsti. Qui vivis, & regnas, &c.

*Hymnus ad S. Margaritam V. & M.*

ÆTernitatis annulo
Inserta Margarita,
Dilecti Sponsi digitô
Portari digna visa,
Fac, ut qui terræ luto
Tenemur miseri,
Eli-

Eliberati, tuta possimus consequi;
Et mente illibata, puri à crimine,
Luce clari beata queamus vivere. Amen.

*Antiph.* Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, alleluja.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oremus.

DEus, qui B. Margaritam Virginem, per Martyrii palmam, tui regni fecisti consortem: concede nobis quæsumus, ut per ejus exempla ad te pervenire mereamur. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad S. Elisabetham Viduam, Andreæ Regis Hungariæ filiam.*

O Felix animus Elisabethæ!
Terrenis omnibus sic expeditæ,
Ut sceptrô, soliô, & ipsâ purpurâ
Spretis ceu foliô, amaret æthera.
Quæ, qui non diligit, in mortem labitur,
Quæ, qui non eligit, æternum perditur.
O sancta anima! Regina Vidua!
O pia Domina! lux serenissima!
Affiste supplici, & da contemnere,
Quod perit fragili collapsum tempore. Amen.

*Ant.* Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Oremus.

TUorum corda fidelium Deus miserator illustra, & beatæ Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, & cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum, &c.

*Hymnus ad S. Cunegundem Virginem, Henrici Imperatoris Castissimam Conjugem.*

AUgusta Cunegundis; ô dulce pretium!

Quæ cordibus es mundis dulce delicium.
Tu Virgo in conjugio, illæsa in incendio,
Merum prodigium.
Tu sceptra, tu coronas, Regalem purpuram,
Et omnem mundi donas tuo Jesu gloriam;
O castitatis lilium, puritatis speculum!
Fac, ut te diligam.
Et doce nos amare, quod nunquam interit,
Nam vanum est optare quod usque præterit;
Sic tecum opto vivere: nam ille nequit sapere,
Qui Deum negligit.

*Antiph.* Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Oremus.

EXaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de B. Cunegundis Virginis tuæ festivitate gaudemus, ità piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum, &c.

*Hymnus ad SS. Virgines, & Martyres.*

DUm sævit Africus, tunc rosa rutilat;
Et Austro viola perflante purpurat:
Et Eurus lilia prona dissuaviat;
Vis nulla eroborat, & nulla exanimat.
Dum fervet carnifex, exurgunt Barbaræ;
Secantur ubera, clarescunt Agathæ:
Dum fumant balnea, Surgunt Cæciliæ:
Dum tela depluunt, nascuntur Ursulæ.
Taurô Phalaricô splendet Pelagia;
Flammis, exiliô, triumphat Flavia:
Uncis, equleô, crucéque, Eulalia:
Virgis, pectinibus, flammis, Febronia.
Rotis, sartagine, vinclis, Euphemia:
Tœdis ardentibus, fuste, Serapia:
Felle, craticula, ferrísque Maxima;
Securi, & oleo ferventi, Eulampia:

Lucia gladiis, & Agnes ignibus:
Christina lacubus, flagris, fornacibus:
Susanna variis torta securibus;
Cruce, & lampadibus Firmina ardentibus.
Has Christus gloria cœlesti munerat,
Has Sponsus stabili nexu consociat:
Ex sexu fragili triumphos numerat,
Cœtúque ex humili coronas duplicat.
Pro fuso sanguine æternùm purpurat:
Pro casto pectore, æternùm sociat:
Pro momentaneis, æternum pignorat;
Pro ferro, & ignibus, æternùm roborat.
Æternis gaudiis, pacéque inaugurat,
Cœlóque lucidas stellas connumerat.
Pro vita labili, æternum animat,
Pro pœnis brevibus æternùm recreat.
Ditantur humiles donis cœlestibus:
Plectuntur tumidi æternis ignibus;
Exornat teneras primis virtutibus,
Lassantur validi magnis sceleribus.
Qui speras maxima, cœlos inambula,
Ut parva referas, mundum perambula:
Quid sunt hæc aliud, quàm terris fabula?
Vel tanquam vitrea commissa pocula. Amen.

*Ant.* Prudentes Virgines aptate vestras lampades: ecce Sponsus venit, exite obviam ei.
℣. Adducentur Regi Virgines post eam.
℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oremus.

DA nobis quæsumus Domine Deus noster, Sanctarum Virginum, & Martyrum palmas incessabili devotione venerari; ut, quas digna mente non possumus celebrare: humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.

*Oratio ad omnes Sanctos.*

O Pulchra, & speciosa domus Domini! ego dilexi decorem tuum: ad te suspiro ex hoc meo exilio; ad te anhelat cor meum, dum deficit vita mea. Non postulo hanc vestram societatem, & pulchritudinē incomparabilem, per mea merita: sed confido: quòd eam obtinebo per Sanguinem JESU Christi, si me vestris meritis, ô gloriosi Sancti! juveritis. Peccavi: & sicut ovis, quæ periit, erravi, fateor: neque tamen de bonitate mei optimi Pastoris diffido: Ille me recipiet in suos humeros: & ad vos deducet; ut in vestra societate exultet anima mea gaudio inexplicabili, quô vos jam fruimini.

O Patriarchæ sancti! ô Prophetæ luce divina illuminati! ô Imperatores, Domini gloriosi; valentissimi Jesu Christi Martyres; sapientissimi Doctores; humillimi Confessores; purissimæ Virgines, Conjuges, Viduæ continentes, & omnes animæ; quæ Deo placuistis, adjuvate me; & subvenite, ut salvus perveniam ad portum, ad quem vos pervenistis.

Et vos Angeli Dei, & Spiritus cœlestes, qui fortissimi estis Domini exercitus; defendite me in hoc passu, contra omnes laqueos Satanæ: liberate me à periculis hujus procellosi maris, & à piratis, qui me persequuntur, defendite: ac demum vestris orationibus ad portum quietis me deducite; ut illic vobiscum tutus conquiescam. Amen.

*Ant.* Angeli, & Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, Patriarchæ, & Prophetæ, Sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, Sancti Confesso-

tes, Virgines, Monachi, Anachoretæ, Sanctique omnes intercedite pro nobis.

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

OMnipotens æterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita, sub una tribuisti celebritate venerari: quæsumus; ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum JEsum, &c.

---

# VARIÆ PRAXES DEO DEBITE SERVIENDI.

Exercitatio Matutina.

*Prima evigilantis cogitatio,* Jesu, Mariæ, Joseph *sit invocatio.*

DEUS, DEUS meus, ad te de luce vigilo!

*Et exiliens ex lecto quære cum Saulo:*

Domine: quid me vis facere?

Paratum cor meum, DEUS: paratum cor meum.

ECce crucem Domini nostri JEsu Christi; fugite partes adversæ: vicit leo de tribu Juda: Salvator mundi salva nos; qui per crucem, & Sanguinem tuũ redemisti nos; auxiliare nobis, Te deprecamur Domine Deus noster; Deus sanctus, Deus fortis, Deus immortalis, miserere nobis. Crux Christi salva me. Crux Christi protege me. Crux Christi defende me nunc, hodie, & in horâ mortis meæ. Amen.

In nomine Domini mei Jesu Christi surgo: qui me suo pretioso Sanguine redemit; ille me benedicat, regat, custodiat, & ad vitam æternam perducat.

Ma-

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe. Amen.

O Angele Dei, qui Custos es mei! me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, & guberna. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo.

*Ad Lotionem.*

AMpliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meò munda me: mundans virtus; ut mundis oculis te contempler: hìc quidem per fidem, facie verò ad faciem in patria; ubi omnem lachrymam absterges ab oculis meis: & mors ultrà non erit, neque luctus.

*Lotus, genuflecte in Oratorio, vel coram Venerabili.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

BEnedicta sit Sanctissima Trinitas, atque individua Unitas: Pater, qui me creauit; Filius, qui me redemit; Spiritus Sanctus, qui me sanctificavit: Benedicta Domini mei JEsu Christi Mater, nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Adoro te Domine ex toto corde meo: & gratias ago pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; sed imprimis pro custodia in hac nocte, in qua si te offendi; quæso: clementer ignosce.

O mi Deus! en ego servus tuus sisto me coram Divina Majestate tua, cui ad majorem gloriam, in gratiarum actionem, in satisfactionē pro meis peccatis, in obsequiū servitutis perpetuæ, offero per manus Beatissimæ Virginis Mariæ, Sponsíque ejus castissimi S. Josephi, S. Angeli Custodis, Archangeli Michaëlis, SS. Petri, & Pauli, Ignatii, & Xaverii, &c. aliorúmque Sanctorum, ac Sanctarum, omnia hujus diei cogitata, dicta, factaque;

que; denique vitam, ac mortem meam, in unione meritorum Filii tui Redemptoris mei Christi JEsu. In recognitionem tuæ æternæ veritatis, & protestationem meæ fidei, qua credo in te: Tuæ misericordiæ, meæ spei, qua spero veniam, gratiam, & gloriam: Tuæ infinitæ bonitatis, & mei amoris, quo te propter te super omnia amare desidero, & doleo, quòd te summa bonitas, aliquando offenderim! Tuæ infinitæ Majestatis, & meæ adorationis; tuorum beneficiorum, & meæ gratitudinis; tuæ justitiæ, & meæ satisfactionis pro omnibus peccatis meis. Denique in recognitionem tuæ liberalitatis pro impetranda venia, gratia, & gloria, mihi, meísque Parentibus, fratribus carnalibus, & spiritualibus, sororibus, consanguineis, benefactoribus, amicis, inimicis, & quicunque mihi sese commendârunt.

Te quoque, Domine Jesu Christe, obtestor per viscera misericordiæ, in quibus visitâsti nos Oriens ex alto; illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: illuminare, & in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris; ut sinè timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, omnes serviamus tibi, in sanctitate, & justitia coram te, omnibus diebus vitæ nostræ.

Saluto te etiam, gloriosissima Regina mundi, & cœli, Maria, Domina mea clementissima, & Patrona singularissima. Vósque purissimi beatorū Spirituum Ordines, maximè vos fidelissimi Patroni, & Tutelares mei Sancti NN. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. Ad vos supplex confugio, vestris me stipate meritis, & virtutibus, mei quoque intercessores apud Divinam Clementiam estote, ut copia diverso-

ſorum, mihi alioquin indigno, præſtetur meritorum. Ut enim veſtræ gloriæ congratulor, ità veſtras, pro me, meíſque, apud Deum humiliter preces imploro, in memoriam, & ſatisfactionem Domini mei Jeſu Chriſti, cui laus, & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

O Domina mea, ſancta Maria! me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitûs mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam, & conſolationem meã, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera, ſecundum tuam, tuíque Filii voluntatem. Amen.

O Maria! Dei Genitrix, & Virgo glorioſa, omnium deſolatorum ad te clamantium, Conſolatrix vera! per illud magnum gaudium, quô conſolata es: quando cognoviſti Dominum Jeſum die tertia à mortuis impaſſibilem reſurrexiſſe; ſis Conſolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, & Dei Natum unigenitum, in die noviſſimo, quando cum anima, & corpore ero reſurrecturus, & de ſingulis meis factis rationem redditurus ſum, me digneris juvare; ut perpetuæ damnationis ſententiam, per te, pia Mater, & Virgo, valeam evadere; & cum electis Dei omnibus, ad æterna gaudia feliciter pervenire. Amen.

Tu quoque ſalve Angele Dei, Princeps nobiliſſime, mi Cuſtos, & Pædagoge amantiſſime, ſalve. Gaudeo: quòd tantam tibi dederit Deus excellentiam, & ſuâ gratiâ ſanctificaverit: in qua

perseverans gloriam, & beatitudinem æternam obtinuisti; gratias ago omnipotenti Deo propter beneficia in te collata: tibi verò propter ea, quæ mihi confers; & propter amorem, & voluntatem, quâ me custodis. Ego tibi commendo hodie corpus meum: & animam meam, memoriam, intellectum, voluntatem meam, appetitiones meas, & sensus omnes; ut me custodias, dirigas, protegas, foveas, visites, gubernes, defendas, ac simul purifices, illumines, & perficias: ità, ut omnibus bonis per te plenus, perseverem semper in gratia, donec simul tecum Deum videam, & eo fruar in gloria. Duc ergo quæso me cœcũ, ignorantem instrue, imbecillem conforta, reduc errantem, pigrũ impelle, dormientem excita, gradientem promove, & extremam illam luctam, quæ cum dæmonibus, & morte futura est, mihi felicem esse procura; ut post hanc mortalem vitam, in tuum, Deique consortium lætus migrare possim. Amen.

Benedicat me imperialis Majestas: protegat me regalis Divinitas: custodiat me sempiterna Deitas: defendat me immensa Trinitas: foveat me gloriosa Unitas: dirigat me ineffabilis Bonitas: Regat me potentia Patris, vivificet me potentia Filii, illuminet me virtus Spiritûs sancti; nunc, & in æternum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

*Ad pulsum Campanæ Matutinum, Meridianum, & Vespertinum.*

ANgelus Domini nunciavit Mariæ; & concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria, &c.

Ecce Ancilla Domini; fiat mihi secundùm Verbum tuum. Ave Maria, &c.

Et

Et Verbum Caro factum est; & habitavit in nobis. Ave Maria, &c.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix, &c.

Oremus.

GRatiam tuam quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, &c. *ut suprà p.* 110.

*Vesperi.* De profundis, &c. *Oratio.* Fidelium Deus, &c. *vide in Officio Defunctorum.*

NB. *Benedictum PP. XIII. Annô* 1724. *omnibus confessis, ac sacra communione refectis, qui manè, aut meridie, aut Vesperi ad pulsum campanæ* Angelus Domini, *&* 3. Ave Maria, *flexis genibus devotè recitaverint; & pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, & Ecclesiæ Catholicæ exaltatione oraverint, uno die cujuslibet Mensis, ad libitum eligendo, Indulgentias Plenarias: aliis verò diebus, quoties id egerint, Indulgentias* 100. *dierum concessisse.*

VERITATES FIDEI.

*Per* 7. *Hebdomadæ dies distributæ, quæ, vel leviusculè manè perpensæ, multùm ad transigendum in timore* DEI *diem conducent.*

*De Beneficiis Dei; pro die Dominica.*

DEUS me ex nihilo creavit: prætermissis innumeris aliis; quos mei locò creare potuisset. Quid hactenus pro singulari hoc beneficio Creatori meo retribui?

2. O quàm multi in suo nihilo relicti sunt: neque unquam ex illo extrahentur; qui si locò mei beneficium creationis accepissent: ex toto corde Deum amarent, eique totis viribus servirent: & quomodo ego hactenus Deum amavi? quomodo servivi?

3. Deus me creavit ad imaginem, & similitudinem suam; ut illum amem, laudem, eique serviens, salvus fiam; & ego nobilissi-

mam hanc Dei imaginem tot peccatorum ſordibus maculare audeo? tam procul à fine meæ creationis recedo?

4. O quantâ curâ homines cuſtodire ſolent mortuas solùm Cæſarum, Regum, aut Majorum ſuorum imagines: quas domi parietibus ſuis affixas habent; & quomodo ego vivam ſupremi cœli, terræque Regis imaginem, id eſt: animam meam hactenus cuſtodivi?

5. Innumera ſunt naturæ bona: quæ Deus animæ meæ conceſſit; dedit mihi memoriam: ut de eo ſæpè cogitarem; dedit intellectū: ut ejus bonitatem agnoſcerem; dedit voluntatem: ut eum amarem: Sed ah! quid ego hactenus toto tempore vitæ meæ cogitavi, conſideravi, amavi!

6. Beneficia etiam corpori meo conceſſa ſine numero ſunt. O quot cœci, ſurdi, muti, claudi, aliíſque defectibus, & morbis obnoxii in lucem prodeunt! & ego integro, omníſque defectûs, & morbi experte corpore fruor. Quæ autem eſt gratitudo mea?

7. Quàm multi usque ad hoc tempus repentè mortui ſunt, aut in extremam paupertatem, infamiam, aliáſque miſerias inciderunt! & ego ſanus adhuc, & incolumis vivo: omnibus ſuſtentandæ vitæ mediis abundè inſtructus. Cujus gratiæ hoc adſcribo?

8. O quàm multis mortis periculis usque ad præſentem diem me benigniſſimus Deus eripuit! Cur ergo ejus obſequiis vitam meam non impendo?

9. Quibus meis meritis gratiam Baptiſmi, & veræ fidei lumen obtinui! an non Deus me, ſicut innumeros alios, ab infidelibus parentibus naſci, in hæreſi, & infidelitate mori, ac æternùm perire pariter permittere potuit?

10. O quot gentiles, & hæretici in inferno ardent; qui multò arden-

dentiùs Deo servirent, quàm ego, si Deus illis hoc veræ fidei lumen, quod mihi benignè impertiit, concessisset! Sed quid imposterum faciam? adhúcne Benefactori meo ingratus esse pergam?

11. Cur Deus me non statim post primū peccatum mortale perpetratum ad inferni ignes præcipitavit, sicut Luciferum? O infinitam Dei in me misericordiam! sed, ah! cur illam totis viribus meis non laudo, & benedico! cur ex toto corde non amo?

12. Deus cœlum propter me creavit: æterna in illo mihi gaudia præparavit: ad quæ me quotidie internis gratiis invitat; & ego illum me toties invitantem rejicio: & spontè mea inferno appropinquò.

*De damnis peccati mortalis, pro die Lunæ.*

1. QUodlibet peccatum grave spoliat animam gratiâ sanctificante, quæ est vita animæ. Vitam corporis tibi tolli times; & cur animæ vitam tibi tolli sustines? nónne vita animæ multò pretiosior est, quàm vita corporis:

2. Per quodlibet peccatum grave omnis decor, & pulchritudo animæ aufertur: & tanta in eam inducitur turpitudo; ut Deo, & Angelis horrorem faciat. Ah, in conspectum hominum venire formidas, facie tuâ minimâ etiam maculâ deformi! & quomodo coram Deo, Sanctissima ejus Genitrice Maria, omnibúsque Sanctis, animâ tot mortalium peccatorum sordibus infectâ, comparere audes?

3. Quodlibet peccatum grave ex Filio Dei, facit filium diaboli; imò in ipsum diabolum transformat; ùt ipse Christus de proditore Juda fatetur: *Ex vobis unus diabolus est.* Hoc tecum frequenter cogita: quoties graviter peccas, toties ab anima recedit Deus: & in

in ejus locum ſubintrat teterrimus dæmon. Cujus inpoſterum diverſorium vis eſſe animam tuam: Deíne Creatoris, & Redemptoris tui amantiſſimi, an dæmonis inimici tui infenſiſſimi?

4. Quodlibet peccatũ grave reddit hominem incapacem omnis meriti, ad vitam æternam conducentis. Quamdiu in peccato mortali es: tamdiu nihil orationibus tuis, aliísque bonis operibus, vitâ æternâ, & cœleſti præmiô dignum mereri potes. O quantum eſt hoc damnum!

5. Si haberes merita omnium Sanctorum: imò, ſi haberes majorem ſanctitatem, quàm ipſa Beatiſſima Virgo Maria, & unicum peccatum grave committeres; nihil tibi omnia illa merita, nihil tibi ſanctitas illa prodeſſet; totum coram Deo ità periret: ac ſi nihil unquam à te factum fuiſſet. Heu, quantum malum eſt, unicum etiam peccatum grave! quod omnia totius vitæ merita unô momentô aufert, ac penitùs deſtruit.

6. Quid faceres, amabo? ſi tale quodpiam malum ſcires, quod omnibus tuis divinis, & temporalibus bonis te unô momentô privare, & ex ditiſſimo pauperrimum efficere poſſit; nónne hoc malum omni contentione fugeres? quodlibet peccatum grave hoc grande malum eſt: quod te unicô momentô omnibus ſpiritualibus theſauris, & ſupernaturalibus meritis, quæ pretio ſuô omnia temporalia bona longè excedunt, ſpoliare poteſt; & cur hoc tam grande malum totis viribus non fugis?

7. Deus homini, peccato mortali obnoxio, multa auxilia particularia, cœleſtésque favores negat; ſimiliter Angeli tutelares non perinde peccatoribus, ac juſtis favores ſuos, & opem præſtant. O quàm deteſtandum malum

lum eſt peccatum! quod hominem auxilio Dei, & ſpeciali Angeli Cuſtodis tutelâ deſtituit.

8. Quodlibet peccatum grave, quamprimùm committitur, pacem, & tranquillitatem animi conturbat: & ingentes in corde tumultus excitat; & velut quidam irrequietus vermis intùs conſcientiam corrodit. Ah, cur hunc tam crudelē vermem in ſinu noſtro fovemus!

9. Omnes miſeriæ, & calamitates hujus mūdi: fames, paupertas, bellum, peſtis, morbi, & mors ipſa temporalis nobis à Deo, tanquam pœnæ peccati, immittuntur. Ah, cur tantarum pœnarum cauſam non magìs perhorreſcimus?

10. Tantum malum eſt quodlibet mortale peccatum, ut eo nullum majus eſſe, aut fingi poſſit. Nullus intellectus creatus ejus malitiam ſatìs capere, aut ſufficienter deſcribere poteſt. Ah! cur tam inexplicabile malum majori ſtudio non declinamus?

11. Tantum malum eſt peccatum mortale: ut pro eo mori debuerit Filius, non Regis alicujus terreni, ſed Dei Omnipotentis. Hæc audis: hæc credis: & nondum ad peccati odium moveris?

12. Deus, qui eſt infinitè bonus, & miſericors, Luciferum, primum Angelum, propter unicum cogitatione commiſſum peccatum, æternis inferni ignibus addixit: Et plurimi ſunt, qui propter unicum peccatum mortale in inferno torquentur; &, eheu! æternùm torquebuntur: Ah! quid agimus cœci mortales? quòd peccatum, tanti mali cauſam, toto mentis conatu non fugiamus?

*De Morte. pro die Martis.*

1. Singulis inſtantibus magìs, ac magìs ſepulchro appropinquas; ſemel tibi

necessariò moriendum est: & forsan hodie.

2. Quid? si jam, hoc momento, mori deberes? quid te fecisse, aut quomodo vixisse optares? fac nunc: quæ moriens facta fuisse voles.

3. Cur usque ad ultimum mortis tempus vitæ emendationem differs? an nescis, tunc tibi cum morte, & gravissimis morbi doloribus luctandum fore? si modò, dum sanus es, difficilè reputas, peccata flere, & bonis operibus vacare: quomodo hoc præstare poteris infirmus, & sensibus propè omnibus destitutus?

4. An nescis pariter tempus mortis incertum esse? ô quàm multi hodie, etiam optimæ ætatis, juvenes mortui jacent: qui herì nihil de morte cogitârunt! felices, & quidem æternùm felices, si eos paratos, & ab omni gravi peccato immunes mors deprehendit!

5. O quot horas, dies, hebdomadas, menses, & annos frustrà hactenus consumpsisti? veniet tempus, ubi vel unam horam pro animæ tuæ salute desiderabis, nec impetrabis.

6. Quis sensus tibi tunc erit? quando in mortis articulo constitutus, supra te Judicem tremendum: infra te infernum patentem: ante te peccata tua; & forsan etiam adstantes tibi dæmones videbis?

7. Etiamsi omnes mundi divitias, honores, & dignitates possideres; quid totum tibi prodesset, si jam hoc instanti, omnibus sensibus destitutus, in mortis lectulo jaceres? nihil tecum, præter vilissimam vestem, quâ corpus tuum tegetur, ad sepulchrum feres. Omnia deserenda sunt.

8. Ubi est viaticum tuum ad iter æternitatis ineundum necessarium? cur tibi de hoc, dum tempus habes, providere negligis?

9. Nemo jucūdius moritur,

ritur, quàm, qui nihil habet, quod in præsenti vita amittat; habet autem plurimũ, quod in futura inveniat.

10. Sancti, qui 70. & pluribus annis Deo in summa vitæ austeritate servierunt, mortem timuerunt; quomodo tu subsistes?

11. Cur corpori tuo tam multa indulges? an nescis: quòd paulò pòst in sepulchro fœtebit, eritque esca vermium?

12 Cur oculis, auribus, linguæ, cæterísque sensibus tuis tantam licentiam concedis? veniet tempus: quô immodesti oculi tui claudentur, nec ampliùs aperientur; curiosæ aures obsurdescent, nec ampliùs audient; effrœnis lingua obmutescet, nec ampliùs loquetur.

13. Moritur Imperator, & rusticus; moritur dives, & pauper: nullum est inter hos in morte discrimen. Omnes brevi terræ spatiô concluduntur.

14. Cum quo desideras mori? an cum Epulone divite, an cum paupere Lazaro? Epulonis mortem secuta est infelix æternitas; Lazari mortem æterna felicitas; jam tempus habes; utramvis elige.

15. Quid nunc prodest Epuloni diviti, in voluptatibus, & deliciis vixisse! & quid obest pauperi Lazaro, miserum fuisse, & ante fores Epulonis ulceribus plenum jacuisse? iste nunc gaudet, & æternùm gaudebit in cœlis; ille nunc patitur, & æternùm patietur in inferno.

## *De extremo Judicio, pro die Mercurii.*

1. Quid si adhuc hodie vox illa terribilis auribus tuis insonet: *Surgite Mortui, venite ad judicium.*

2. Fortè jam coram Deo accusatus es, quòd bona ejus dissipaveris? Quid si paulò post tibi dicatur: *Redde rationem villicationis tuæ*; redde rationem de tota vita tua, de omnibus

cogitationibus, verbis, & operibus tuis?

3. Quid respondebis, quando dæmon, cujus malis suggestionibus sæpè obedivisti; tuus Angelus Custos, cujus inspirationes sæpiùs neglexisti; tuametipsius conscientia, quam tot peccatis inquinâsti, te coram Deo reum agent, & accusabunt?

4. Qua fronte coram Judice Christo comparebis: quem toties peccatis tuis denuò cruci affixisti? quid respondebis illi, quando tibi objiciet: ego animæ tuæ salutem tanti feci: ut pro ea infinitum sanguinis mei pretium deposuerim, & tu me, tantum tui æstimatorem, toties peccatis tuis despexisti? ego pro te flagella, spinas, mortem ipsam in cruce subivi: ut te à morte æterna redimerem; & cur pro hoc amore nihil nisi gravissimum mei odium, & innumeras injurias rependisti?

5. Quis tibi tunc sensus erit, quando omnia tua occulta peccata toti mundo manifesta fient; grave tibi nunc videtur: uni tantùm Confessario peccata tua detegere; quanta ergo confusio tibi erit? quando totus mundus peccata tua clarissimè conspecturus est.

6. O quàm multa in valle Josaphat audientur suspiria, sed sinè fructu! quàm multa inutilia lamenta: quæ tamen nunc facilè sincerâ contriti cordis pœnitentiâ evitari possent.

7. Quid tunc cogitabis, quando vexillum Crucis Judici, ad judicium jamjam venturo, præferri videbis? Væ tibi formidando illo tempore! si nunc Crucem Christi oderis.

8. Quid excusationis adferes, quando Dei Filius sua tibi ostendet Vulnera: quæ toties peccatis tuis renovâsti?

9. Quam vocem in extremo judicio audire desideras? illámne jucun-

cundissimam, quam Christus, Judex ad omnes Beatos aliquando proferet: *Venite Benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi &c.* An verò illam: quam in reprobos justâ irâ accensus fulminabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum: qui paratus est diabolo, & Angelis ejus, &c.*

10. Magni Basilii monitum nunc seriò tibi cordi sume: *Si quando senseris: te ab appetitu ad peccandum pertrahi; cogita horribile illud, & intolerabile Christi tribunal: in quo præsidebit Judex in alto, & excelso throno: adstabit autem omnis creatura, ad gloriosum ejus aspectum contremiscens.*

11. Cogita etiam illud S. Hieronymi: *Sive dormiam, sive comedam, sive quidquam aliud agam; semper vox illa auribus meis insonare videtur. Surgite Mortui: venite ad judicium.*

12. *Quis peccare poterit? si semper ante oculos judicium ponat? quod in fine mundi certum est agitandum:* Concludit S. Clemens Papa Epist. 1. ad Jacobum Fratrem Domini.

### *De Inferno, pro die Jovis.*

1. INfernum esse, Catholica fide certum est; id est: locum omni miseriarum genere plenissimum: & iis hominibus à Deo destinatum, qui lethali peccato obnoxii ex hac vita decedunt. O quot sunt Christiani, qui ità vivunt, ac si infernum esse non crederent! nonne tu etiam in horum numero fuisti?

2. Quidquid, sive corpus, & corporis membra singula, sive animam, & potentias ejus omnes torquere, & affligere potest, id totum non per partes, sed simul, diluvii instar, damnatos opprimet. Quomodo tam imensum dolorum cumulũ tolerabis? cui, modico solum tempore, unius dentis malè affecti dolores

lores sustinere, intolerabile videtur.

3. Inter præcipuas damnorum pœnas est: quòd gloriâ cœlesti æternùm exclusi erunt; nec unquam illis infinitam Dei pulchritudinem clarè intueri dabitur. O quanta insania est! ut transitoriis, & paulò pòst deserendis mundi deliciis frui possis, æternam cœlestis gloriæ jacturam eligere.

4. Corpus damnatorum, quod illicitis præsentis vitæ voluptatibus innutritum fuit, acerbissimis ibi tormentis æternùm excruciabitur. Vísne potiùs æternis in inferno ignibus torqueri: quàm modico hìc tempore à vetitis voluptatibus abstinere?

5. Quomodo sustinere poteris æternas inferni pœnas, qui nec unica nocte calido æstatis tempore, in mollissimo etiam lecto, immoto corpore jacere potes?

6. Finge, totum hoc universum, immensum Oceanum esse: ex quo parva avicula singulis mille annis unam tantùm guttulam accipiat; hic tandem, licèt imensus, Oceanus à parva hac avicula exhaurietur; at pœnæ damnatorum nunquam exhaurientur. Quamdiu Deus erit Deus, tamdiu ab inferni igne damnati sinè ulla intermissione urentur. O longa æternitas!

7. Pro turpi unius momenti voluptatula, impii sinè ullo fine cruciabuntur; quibus modico labore ter beata patebat æternitas. Cave: ne his aliquando aggregari merearis.

8. Memoria bonorum, quibus aliquando fruiti sunt, ac umbræ instar, nulla redeundi spe, prætervolârunt, & recordatio tot, tantorúmque, tam præsentium, quàm in omnem æternitatem subsecuturorum malorum, quæ facili negotio evadere potuissent, incredibili damnatos mole-

molestia afficiet : & hoc in æternum! O longa æternitas!

9. Intellectus sempiternis ignorantiæ tenebris offundetur; voluntas in malum obstinata, perpetuò in Deum, Sanctos, séque ipsam odiô obfirmata, continuis agitabitur furiis; & hoc in æternum. O crudelis æternitas!

10. Oculi, quibus hì magnam persæpè indulgemus licentiam; nihil ibi videbunt: nisi horrida visu incendia: tormenta innumera: terrifica damnatorum monstra, horrenda dæmonum spectra; & hoc in æternum. O infelix æternitas!

11. Aures, quas sæpè divinis monitis, & inspirationibus obduramus, &, audiendo prava colloquia, aperimus; miserabili damnatorum voce, ac tristi ululatu, amaris singultibus, & querelis, horrendis adversùs se invicem maledictis, & in Deum, Sanctósque blasphemiis pulsabuntur; nares graveolente, putridóque odore, & pædore opplebuntur; os, lingua, palatus, fauces, & stomachus non aliô cibô, non potu alio, quàm *felle draconum*, quàm *venenô aspidum* recreabuntur; *ignis*, *& sulphur*, *& Spiritus procellarum pars calicis eorum:* & bibent: *de vino iræ Dei.* Et nihilominus inter hæc fame, sitíque cruciabuntur amarissima, & hoc in æternum. O crudelis æternitas!

12 O si cui ex damnatis modò liceret ad vitam redire! quid non ageret? quid non toleraret? quò tam horrenda evadere posset supplicia, & æterna cœli gaudia indipisci? sed jam jacta est omnibus damnatis alea; sed non tibi, cui adhuc tempus æterna supplicia evadendi concessum est. Cave, cave: ne & tu cum pluribus jam damnatis pro una semel complenda libidine

æternis te inferorum tormentis cruciandum præcipites.

13. Audi S. Basilium te sincerè monentem : *Cogita profundum Barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, urendi quidem vim habentem, sed privatum splendore; vermium genus, venenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infligens: postremò quòd est omnium gravissimum, opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hoc time: & hoc timore correptus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam frœno quodam, reprime.*

*De Passione Christi, pro die Veneris.*

1. Totum me Deo debeo propter creationem: quid jam illi retribuam propter redemptionem?

2. Quoties JESUM cruci affixum, conspicio: toties ingenti rubore suffundor; quia semper mihi has voces audire videor: tu ille es, qui per peccata tua crudelissimæ mortis Christi auctor fuisti.

3. Judas semel tantùm Dei Filium 30. argenteis vendidit; ego autem non semel, sed millies id feci: quoties nimirum animam meam gravi peccato obstrinxi: adhucne inposterum venditor Christi esse pergam?

4. Deus unicâ sanguinis sui guttâ universum hunc mundum, imò infinitos alios mundos, redimere potuisset: amor tamen mei totum Sanguinem usque ad ultimam guttam profudit; ah! cur hactenus tam parùm amavi me tantopere amantem.

5. Quid respondebo Salvatori meo? quando in extremo judicii die hæc mihi objiciet: O homo! quid ultrà pro te facere potui, & non feci? ego pro te flagel-

la,

la, ſpineam coronationem ſuſtinui: & tu pro his omnibus nîl niſi peccata, reddidiſti.

6. Dei Filius, toto corpore flagellis dilaceratus, ſpinarum aculeis capite ſauciatus: manibus, & pedibus crucis patibulo affixus: ſe identidem oculis meis ſpectandum præbet: & ego hoc tam triſti, & cruentô ſpectaculô à peccando non deterreor?

7. Si homo, etiam viliſſimus, amore mei in mortis periculum ſe conjiceret; ô quàm gratus illi exiſterem! cur igitur Dei, pro me in cruce mortui amorem non agnoſco? cur illi tam variis modis me ingratum exhibeo?

8. Quotiescunque graviter pecco; toties cum Petro Chriſtum nego: toties cum Juda Chriſtum vendo: toties cum Judæis Chriſtum cruci affigo: & pretioſiſſimnm ejus Sanguinem pedibus conculco: ah anima mea! quomodo peccati gravis malitiam non exhorreſcis?

9. In morte Chriſti petræ ſciſſæ ſunt: terra mota eſt: ipſa mortuorum ſepulchra aperta ſunt: ego ſolus morienti Chriſto non compatiar? pro quo ſolo Chriſtus patitur; ah! utinam tandem cor meum ſcindatur; & ad ſinceram peccatorum deteſtationem per veram contritionem moveatur!

10. O anima mea! inſpice caput JESU in cruce inclinatum ad te oſculandum; cor lanceâ apertum ad te diligendum: brachia in cruce extenſa ad te amplectendum: totum corpus expoſitum ad te redimendum: & tandem amare incipe illum, qui te usque ad mortem dilexit.

11. Audi Mellifluum Bernardum, magna vocis contentione tibi inclamantem: *Agnoſce, quàm gravia ſint vulnera* (hoc eſt: peccata tua) *pro quibus neceſſe fuit: Chriſtum Dominum*

*num vulnerari; si enim non essent ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur.*

### *De Gloria cœlesti, pro die Sabbathi.*

1. EN cœli portæ apertæ sunt; si vis ingredi, potes. Sed bene nota; quòd nonnisi secundùm Dei, & Ecclesiæ præcepta viventibus ingressus pateat.

2. Gloria cœlestis, ad quam aspiras, status est bonorum omnium aggregatione perfectus: in quo nulla sunt mala culpæ, aut pœnæ; sed omnia bona, quæ desiderari possunt: & cur pro felici hoc statu obtinendo majores labores non impendis?

3. O quoties in agris ruricolæ calida æstate sudant, quoties mercatores famem, sitim, & mille molestias, ipsáque etiam mortis pericula in itineribus sustinent! & cur hoc? ut modico tempore felices esse possint: & tu, ut æternùm felix vivas, laborare, & pati detrectas?

4. Quid, si in terris daretur palatium ex auro, & lapide pretioso constructum, in quo esset perpetua lux, & aura suavissima, ac adeò salubris; ut, quicunque illud inhabitarent: perpetua sanitate gauderent, omnium omnino morborum expertes; nónne totius mundi homines hujus Palatii inquilini esse desiderarent? Cœlum, hoc palatium est; & cur tu nullô ejus desideriô teneris? cur non satagis: ut in eo aliquando perpetua sanitate, felicitate gaudere possis?

5. O quantum etiam in mortali hac vita gaudium est, in tali communitate vivere! in quà omnes tanta se invicem charitate diligunt: ut unusquisque gaudeat de bono cæterorum, non aliter, ac de suo; procúlque ab iis absit omnis re-

pu-

pugnantia, ambitio, invidia. Talis communitas in cœlis eſt: in qua jucundiſſima, & nunquam diſſolvenda viget charitatis unio; placétne tibi, in hac Beata communitate æternùm vivere?

6. Omnia mundi gaudia ſimul ſumpta in comparatione illius gaudii, quod anima in cœlis ex clarè viſa infinita Dei pulchritudine percipiet, multò minora ſunt: quàm minima aquæ gutta immenſo oceano comparata. Quid ergo agimus, ô ſtulti mortales! quòd cœleſtia gaudia mundi gaudiis poſtponamus?

7. Corpus noſtrum in cœlis aliquando fulgebit, ſicut Sol; membrorum ejus proportio, figura, color, & pulchritudo erit mirabilis; non eſuriet neque ſitiet amplius, nec ſentiet dolorem ullum, aut infirmitatem, nec mortis metum; omnium bonorum ipſi competentium copiâ abundabit; & hoc in æternum! O verè *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam; quæ revelabitur in nobis.* Quidni ergo *mortificationem Jeſu* (nunc) *in corpore noſtro circumferamus?*

8. Viſus ex aſpectu tot glorificatorum corporum, præſertim verò Chriſti Domini, & Sanctiſſimæ ejus Matris Mariæ, incredibili delectatione afficietur; & hoc in æternum. O quis brevi hoc vitæ tempore ab illicitis aſpectibus oculos ſuos non cohibeat, ut illos æterna in cœlis tot glorificatorum corporum pulchritudine paſcere poſſit.

9. Auditus delectabitur dulciſſimis Beatorum colloquiis, & laudibus Dei; item muſica cœleſti prorſus admiranda, quæ omnium mundi hujus muſicarum amœnitatem longiſſimè ſuperabit. O aures meæ! nunc liben-

libenter audite verba Dei: ut admirabilem illam cœli musicam in perpetuum aliquando audire possitis.

10. Odoratus recreabitur suavissimo glorificatorum corporum odore, præcipuè Corporis Christi Domini, & Sanctissimæ ejus Matris Mariæ; Gustus absque cibis altiori quodam, & sublimiori modo, *omne delectamentum suavitatis* percipiet; Tactus; qui per totum corpus est diffusus, replebitur deliciis, & voluptatibus sanctis, ac puris; ità ut Beatus, totus quantus immersus sit torrenti deliciarum, & voluptatum Dei: ô quàm copiosè reddetur ibi præmium sensibus omnibus ob mortificationes, quas amore Dei in hac vita sustinuerunt! O corpus meum! animum magnum concipe ad patiendum pro Christo: ut sensus omnes tui gaudiô illô aliquando in cœlis perfruantur, quod nec *oculus vidit: nec auris audivit: nec in cor hominis unquam ascendit.*

---

AUDITIO SACRI.

*Oblatio Missæ.*

Domine Jesu Christe, Sanctissimum hoc Missæ Sacrificium tibi offero: in unione duorum illorum Sacrificiorum à te oblatorum; unius quidem in extrema tua Cœna: quando panem in pretiosum tuum corpus consecrâsti, & transmutâsti: alterius verò, quando te ipsum Deo Patri pro totius humani generis salute in ara Crucis immolâsti. Dignare ô bone Jesu hoc meum Sacrificium acceptare, tuam ad laudem, & gloriam, animæque meæ salutem, pro N.

*Ad B. Virginem.*

O Maria Mater misericordiæ! ad te ego miser, & indignus pec-

peccator, toto corde & affectu, confugio: precórque pietatem tuam; ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce morienti adstitisti, & unà cum illo pendente, Sacrificium immaculatum Corporis, & Sanguinis ejus, in mundi Redemptionem, Deo Patri obtulisti; ità quoque omnibus, hìc, & in tota Ecclesia, Sacrificio Missæ hodie præsentibus assistere digneris; ut tuis adjuti precibus, dignam, & acceptabilem hostiam summæ Trinitati offerre, & Divinos ejus fructus percipere valeamus. Amen.

### *Ad Introitum.*

O Benignissime Jesu! memor verborum tuorum: (In quacunque hora ingemuerit peccator, exaudiam eum:) coram te ingemisco, & compungor, mihíque totus displiceo: quòd summam Majestatem, & bonitatem tuam ineffabilē, tot, tantísque peccatis offenderim. Confiteor tibi, ô Deus meus! omnia, & singula peccata mea, cogitatione, verbô, opere, vel omissione perpetrata; quia peccavi in cœlum, & coram te: Doleo ergo, & quantum possibile est mihi, ex toto corde meo compungor, omnia, & singula peccata mea detestando; eáque sola de causa, quòd his te summum bonum offenderim. Doleo ô Deus meus! & iterum doleo: mori potius paratus, quàm unquam ampliùs te Deum meum super omnia dilectum offendere; ità enim hoc momento te amo, & amare conabor; ut omnes potiùs mundi hujus cruciatus perferre paratus sim: quàm vel per unum peccatum ab amore tuo recedere. Tu ergo, ô Deus! sinè quo[illegible] nihil validum nihil [illegible] pro[illegible] plica super[illegible] ricordiam [illegible] da; [illegible] gra[illegible]

bono proposito confortet; cùm enim volentis non sit, neque currentis: sed Tui miserentis; miserere, obsecro misero: amantem ama: suspirantem adjuva: & ab universis malis, & periculis tuere.

### *Ad Offertorium.*

Suscipe, Sanctissima Trinitas, atque individua Unitas hanc oblationem, quam tibi offero per manus Sacerdotis tui, pro me peccatore omnium hominum miserrimo: & pro innumerabilibus peccatis meis; quibus in dicti, factis, aut cogitationibus contra te peccavi; rogans: ut præterita dimittas, & à futuris me custodias.

### *Ad Consecrationem Hostiæ.*

O Creator, & Redemptor meus! bene- [illegible] tu amabili [illegible] quam nobis [illegible] bili Sacra- [illegible] quisti, & obsecro te per conversionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem tuum & per conversionem divinæ iracundiæ in misericordiam tempore crucifixionis, & mortis tuæ; ut me, & omnes peccatores convertas, & transmutes in te, actionésque meas dirigas ad bonum finem.

### *Ad Elevationem Hostiæ.*

Ave verum Corpus natum
De Maria Virgine,
Verè passum, immolatum
In Cruce, pro homine:
Cujus latus perforatum
Undâ fluxit, & Sanguine,
Esto nobis prægustatum
Mortis in examine.

O clemens! ô pie! ô dulcis Jesu, Fili Mariæ! miserere mei: Et da, ut, sicut te nunc videre merui in forma panis; ità cùm ad judicandum veneris, securus,

rus, & gaudens aspicere possim in gloria tuæ Majestatis.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Nè projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas.

### *Ad Elevationem Calicis.*

SAlve nobilissime Sanguis, de latere Domini JEsu Christi profluens; & totius veteris, & novæ culpæ maculas diluens: ablue, sanctifica, & custodi animam meam in vitam æternam. Sit mihi, ô Jesu! Sanguis tuus in remissionem omniũ peccatorum meorum, negligentiarum, & ignorantiarum mearum; in robur, augmentum, & conservationem fidei, spei, & charitatis, gratiarum, & virrutum omnium: in cautelam vitæ, in adimpletionem gloriæ æternæ, in profectum animarum omnium, & vel maximè, pro quibus orare teneor.

Amantissime Jesu! lava me à maculis omnibus in tuo pretioso Sanguine, & fac per ejusdem effusionem, ut universo mundo, cum omnibus peccatis: vitiis, & concupiscentiis moriar; & per incendium amoris tui à meipso deficiam, & in te solo vivam. Amen.

### *Communio Spiritualis.*

DOmine JESU Christe, firmissima fide credo, ac profiteor: te hìc corporaliter, te substantialiter in altari, hostiam veram, ac vivam immolari; qui pro me natus, passus, in ara crucis immolatus, & mortuùs es etiam. Te ergo Dominum, ac Redemptorem meum supplex adoro, & veneror: coram Majestate tua me prosterno

no corde humili, & contrito, quod, ô Deus meus non despicias; neque enim hìc præsens es velut Judex, sed ùt amantissimus Salvator, ac Medicus meus; qui omnes spirituales meas infirmitates, & miserias sanes, ùti sanare scis, potes, ac etiam vis. In hac igitur infinita Sapientia, omnipotentia, ac bonitate tua confisus, spero per infinita merita tua remissionem omnium peccatorum, pro quibus doleo, ob te summum bonum offensum; spero etiam omnia dona gratiæ, juxta tuum sanctissimum beneplacitum, & meam utilitatem: pro quibus mihi conferendis, maximè N. & N te humiliter rogo, obtestórque; ô DEUS animæ meæ! unicum bonum meum! gaudeo de ineffabili gloria, & perfectione tua; utinam te unà mecum, omnes creaturæ, ut par est, ament, & glorificent: id certè ex nunc desidero; & amore tui, me, ac mea omnia tibi offero, propter infinitam bonitatem, & beneficia tua, pro quibus te laudo, & benedico, neque aliud quidquam ulterius peto, ac rogo: quàm ut tecum spiritus unus efficiar; & quia sacramentali hac communione, quam quidem, si liceret, unicè desiderarem, tibi hodiè uniri non mereor; transforma me nihilominus totum in te: ut vivam ego, non jam ego, vivas verò tu in me amabilissime JESU! Amen.

## *Ad Ite Missa est.*

ABrenuncio tibi satana; & adhæreo tibi Christe; qui es via, veritas, & vita. Vias ergo tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me: perfice gressus meos in semitis tuis; ut non moveantur vestigia mea: à subitanea, & improvisa morte, atque incursibus ho-

hostium, libera: & custodi mè nunc, & in hora mortis meæ, Pater, & Fili, & Spiritus Sancte. Amen.

*Post Missam, Oratio Sancti Augustini.*

DIspone jam benignissime Pater cœlestis, quô mei misearis; quoniam quidquid pretiosius inveni, devotè tibi obtuli; quidquid charius reperi; suppliciter præsentavi. Misisti gloriosum Filium tuum, inter me, & te Mediatorem: quare si me pro méa, utì dignum, despicis iniquitate, respice me saltèm misericorditer pro dilecti Filii tui charitate. Omnis namque spes, & fiduciæ certitudo mihi est in pretioso Sanguine ejus, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram: in ipso respiro, & in ipso confisus, ad te pervenire desidero; non habens meam Justitiam, sed eam, quæ est ex Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo. Ecce ô Pater! hic est innocens ille: qui pro me Caro factus est; hic, quem propter peccata mea percussisti, licèt ipse sit dilectus Filius tuus, in quo tibi bene complacuisti. Hìc aspice Factorem meum, & ne despicias facturam tuam. Aspice piissime Pater, piissimum Filium, pro peccatis meis tam impia passum. Vide carnis Sacramentum, & remitte carnis reatum. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Laudate Dominum omnes Gentes; laudate eum omnes Populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

# MODUS
## Recitandi
# ROSARIUM.

*In Mysterio Gaudioso.*

Ave Mar. &c.
Quem Virgo concepisti.
Quem visitando Elisabeth portâsti.
Quem Virgo genuisti.
Qvem in templo præsentâsti.
Quem in templo invenisti.

*In Doloroso.*

Ave Mar. &c.
Qui pro nobis sanguinem sudavit.
Qui pro nobis flagellatus est.
Qui pro nobis spinis coronatus est.
Qui pro nobis crucem bajulavit.
Qui pro nobis crucifixus est.

*In Glorioso.*

Ave Mar. &c.
Qui resurrexit à mortuis.
Qui in cœlos ascendit.
Qui Spiritum Sanctum misit.
Qui te assumpsit.
Qui te in cœlis coronavit.

*In sexta Decade fit repetitio singulorum Mysteriorum ad duo quæque grana.*

*A Dominica Sanctissimæ Trinitatis usque ad Dominicam primam Adventûs hoc modò dividuntur Mysteria per Septimanam, ùt die Dominico, Lunæ, Jovis accipiantur Gloriosa; die Martis & Veneris* Dolerosa; *die demum Mercurii & Sabbatho Gaudiosa. Solent etiam nonnulli post quamvis Decadem ante* Pater noster, *aliquam ex infrascriptis oratiunculis adjungere.*

Post Decadem I. dic:

Decies millies laudent, glorificent, & benedicant te, ò Sanctissima Virgo MARIA; omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines! cum quibus speramus te aliquando videre, coleréque in cœlo.

*Post II.* Vicies millies, &c. *ut suprà.* Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, cum quibus speramus, &c.

*Post III.* Tricies millies, &c. Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, cum quibus speramus, &c.

*Post IV.* Quadragies millies, &c. *ut suprà.* Omnes SS. Martyres, & Confessores, cum quibus speramus, &c.

*Post V.* Quinquagies millies, &c. Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ: cum quibus speramus, &c.

*Post VI.* Centies millies, &c. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; cum quibus speramus, &c.

*Ad tria ultima* Ave *sequentes pete virtutes.*

*In Gaudioso.*

1. Qui nobis augeat fidem rectam.
2. Qui nobis augeat spem firmam.
3. Qui nobis augeat charitatem perpetuam.

*In Doloroso.*

1. Qui nobis intellectum illuminet.
2. Qui nobis voluntatem perficiat.
3. Qui nobis memoriam roboret.

*In Glorioso.*

1. Qui nobis dirigat cogitationes.
2. Qui nobis regat verba.
3. Qui nobis gubernet opera.

# SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

*Præparatio ad Confessionem.*

SUrgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam: Peccavi in cœlum, & coram te; non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de pœnitentibus tuis, & mitte mihi hodie unicam solummodò micam de mensa infinitæ tuæ misericordiæ; ut peccata mea cognoscere, deflere, dignámque de illis pœnitentiam agere possim.

*Gratiarum Actio.*

SEd quid retribuam, ô clementissime Deus! pro omnibus, quæ retribuisti mihi: ab æterno me dilexisti & ut spero, ad æternam gloriam me prædestinâsti. Creâsti me, cùm n n essem, & postquam perieram, Filius tuus pro me homo factus, Sanguine proprio me redemit, cujus merita adeò copiosè mihi applicâsti: præter Angeli boni custodiam, etiam præceptores procurâsti: qui me in honesta, ac liberali disciplinà, vera tui cognitione, ac timore, sanctáque Fide Catholica imbuerent; quid, inquam, retribuam tibi pro his, & innumeris aliis, ad hanc usque præsentem horam in me collatis beneficiis? proque tua infinita bonitate, quam agnosco, ac veneror, & glorifico te, ô clementissime Pater! laudo, benedico, & ex toto corde, quas possum, gratias ago; atque in debitam gratiarum actionem, infinita merita, & obsequia Filii tui, unà cum meritis B. V. Mariæ, Angeli mei Custodis, omniúmque Sanctorum, Divinæ Majestati tuæ offero, unicè optans, & rogans: ut me semper gratum exhibeam.

*Luminis Petitio.*

PEr eandem ergo charitatem tuam, misericordissime Pater, dignare cæteris beneficiis tuis etiam hoc addere: ut mentis meæ tenebras gratiâ tuæ visitationis illumines: affectum voluntatis inflammes, & corrobores, ad cognoscendum; quidquid cogitatione, & affectu; verbis prolatis, & auditis; operibus, & omissionibus; contra Te, Proximum, Parentes, Superiores, æquales, minores, memetipsum peccavi.

*Conscientiæ discussio.*

O Scrutator cordium, & renum DEUS. qui consideráſti semitas meas, & omnes gressus meos dinumerâsti! quid tibi hodie, (vel diebus præteritis) pro infinitis bonis tuis reddidi?

*Cogitatione, & affectu.*

HEu! quoties otiosa, vana, superba, inordinata, impura, carnalia, & venerea, gulosa, invidiosa, iracunda, suspiciosa, temeraria, fraudulenta, scrupulosa, desperabunda, &c.

*Verbis, prolatis, & auditis.*

ET vel maximè otiosis, inconsideratis, superbis, mordacibus, inverecundis, impudicis, scandalosis, iracundis, vanis, detractoriis, contumeliosis, mendacibus, falsis, simulatis, adulatoriis, affectatis, execratoriis, imprecatoriis, dictis non recta, sed tecta, & falsa intentione.

*Operibus, & omissionibus.*

AD nullum bonum finem directis, vanis, & otiosis: & in gratiam hominum tantùm factis, inordinatis, in finem minùs decentem, nec debito modo, tempore, aut loco transactis: perfunctoriis, & absque attentione, ac devotione, quin potiùs hypocriticè perfectis; immorigeris, contra præcepta Dei, & Ecclesiæ:

contra debitum officii proprii, & remorſum conſcientiæ.

*Dolor de Peccatis.*

O Pater miſericordiarum? quid retribui tibi pro dilectione tua? nîl niſi peccata, negligentias, ingratitudinem: utinam nunquam te offendiſſem, nec offenderem poſthac in æternum! Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Doleo de his N. maximè, & de aliis omnibus peccatis, negligentiis, & offenſionibus meis propter te infinito amore, & honore digniſſimum, quem his offendi. O miſericordiſſime Deus! non permittas me damnari, quem tu de nihilo creâſti. O benigniſſime DEUS! recognoſce, quod tuum eſt in me; & abſterge, quod alienum eſt à te: ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O DEUS ſummè amabilis! quem amo nunc, & diligo ſuper omnia, & ex hoc ipſo tui amore, te offenſum ex animo doleo, & erubeſco.

*Propoſitum emendationis.*

CUpio, mi DEUS! poponóque feriò vitam meam emendare, omniáque peccata, & præſertim hæc N. nunquam committere. Perfice ergo, Deus cordis mei, hoc quantumvis imperfectum deſiderium meum. In ſatisfactionem peccatorum meorum, & ad impetrandam gratiam tuam, offero tibi pretioſam paſſionem, mortem, & univerſa merita unigeniti Filii tui, ejusdémque Virginis Matris, ac omnium Sanctorum opera, univerſam reliquam vitam meam; & confido in bonitate, ac miſericordia tua infinita: quòd per ejusdem Filii tui merita, & SS. Patrocinia mihi remiſſurus ſis omnia peccata mea, gratiámque uberem largiturus; quâ vitam ſancte deinceps inſtituam, tibîque perfectè

fectè usque in finem serviam. Amen.

*Actus Contritionis.*

O Beatissime DEUS ô suavissime JESU! amor meus! doleo ex intimo corde, quod Majestatem tuam, & bonitatem infinitam peccatis meis offenderim, quam debeo, & nunc volo amare, amóque super omnia; ídque quia tu es Deus infinitè bonus, potens, sanctus, & sapiens, cui peccatum super omnia displicet, & adversatur. O si te nunquam offendissem! revoco, retracto, detestor, & quantùm possum, annihilo: quidquid feci cogitatione, verbo, opere, & omissione contra te; cupióque, ac desidero totâ animâ meâ, me id nunquam fecisse.

Heu! pœnitet me iterùm, ac iterùm, & millies, pœnitebítque totâ vitâ meâ. Et quamvis nulla pœna, aut infernus, nullum cœlum, tua tamen amabilissima bonitas, à me, heu mihi! sufficit offensa; ut mihi cor dolore disrumpatur, & oculi flumina lachrymarum profundant.

Quare: propter hunc tui amorem, firmissimè statuo; non ampliùs te offendere: omnes peccandi occasiones fugere: ritè confiteri: pœnitentiam implere: omne, ad quod obligor, facere; imò ut pleniùs satisfaciam; condono omnibus omnes injurias, & offensas mihi factas, sicut meas à te peto mihi condonari; simúlque pro peccatis meis offero tibi vitam, actiones, ac labores meos omnes; & sicut nunc tibi supplico: ità de tua infinita bonitate, & misericordia confido; te mihi, per pretiosi Sanguinis, & passionis tuæ merita veniam cum gratia daturum; ut emendatus, in finem usque perseverem.

Respice ergo Domine Jesu Christe super me miserum peccato-

tem oculis misericordiæ, quibus respexisti Petrum in atrio; Magdalenam in convivio; & Latronem in crucis patibulo; & præsta: ut cum Petro peccata mea dignè defleam, cum Maria Magdalena perfecto amore te diligam, & cum latrone in sæcula sæculorum te in paradiso videam. A.

*Oratio jam jam Confessuri.*

SCrutator cordium DEUS, miserere nunc peccatricis animæ meæ, ejúsque clementer, & vincula solve, & vulnera sana. Da cordi meo contritionem, & lachrymarum fontem oculis meis: ut cum humilitate, & puritate cordis, omnes iniquitates, & negligentias meas dignè defleam, & integrè aperiam, fructúque sacratissimæ passionis Christi, reviviscat anima mea in vitam æternam. Amen.

*Methodus Confitendi.*

IN nomine Patris, &c. Confiteor Deo Omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, omnibus SS. & tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere; præcipuè ab ultima confessione mea, facta ante N. me accuso, quòd &c.

*Peccata Confessus conclude.*

De his ergo & omnibus peccatis meis doleo, quòd dilectissimũ Deum meum offenderim: propono emendationem, petóque salutarem pœnitentiam, & absolutionem.

*Oratio post Confessionem.*

SIt tibi Domine, obsecro meritis Beatæ semper Virginis Genitricis tuæ MARIÆ, & omnium Sanctorum, grata, & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, & integritate confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua; & secundùm illam digneris me habere pleniùs, & perfectiùs absolutum in cœlo. Qui vivis, &c.

Pro

*Pro Peccatorum Remissione.*

O JESU mi dulcissime! ego sum ille miser, & infelix peccator, qui tibi tot Vulnera inflixi, téque rursus peccatis meis, heu nimis multis, & magnis! crucifixi. Ecce ante te Judicem, Fratrem tamen meum sto, tot criminum reus, tot peccatis obnoxius, obsecrans te per viscera misericordiæ tuæ: aperiantur denuò vulnera tua omnia in conspectu Patris tui, & fluant in miseram, immundam, & criminibus multis deturpatam animam meam; neque obstruantur, priusquam me abluerint, & perfectè mundaverint.

*Oratio.*

DEUS, qui diligentibus te facis cuncta prodesse; da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum; ut desideria de tua miseratione concepta, nulla possint tentatione mutari. Per Christum, &c.

*Sacramentum Eucharistiæ.*

Intentio.

SAcro-Sancta Trinitas unus DEUS, Divinæ Majestati tuæ hanc Sacram Corporis Domini nostri JESU Christi sumptionem offero in unione illius amoris, quo Filium Pater in mundum misisti: & illius oblationis, qua Filius in cœna, & cruce seipsum pro salute mea obtulit: Cupio sacrum ejus corpus suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissima reverentia, quam aliquis Sanctorum unquam habuit, & sentire potuit.

1. Ad æternũ tuæ Majestatis cultum, & honorem: in protestationem supremi tui in nos Dominii! in memoriam, & venerationem Incarnationis, Vitæ & mortis Domini mei JESU Christi, dirigo, & offero affectu Deiparæ, omnium Sanctorum, & præsertim hujus diei cũ sacrificiis omnibus tibi placitis.

Gaudeo, tantum te esse, ut à nulla creatura dignè æstimari possis. Filium proinde tibi tuum in sacrificium laudis infinita tua Majestate dignum offero.

2. Offero eundem in gratiarum actionem omnium beneficiorum, Creationis, Redemptionis, Vocationis, Conservationis, Eucharistiæ, aliorúmque Sacramentorum: eximiorum charismatum Humanitati Christi, Deiparæ, Cœlitibus, toti mundo, & mihi ingratissimo collatorũ, & conferendorum.

3. In satisfactionem pro meis, omniúmque peccatis, in compensationem offero tibi Filium, Hostiam placationis gratissimam.

4. Primariò offero Divinæ Majestati tuæ hanc imaculatam Hostiam pro NN. Deinde pro iis, pro quibus orare teneor. Et juxta hodiernam meam intentionem. Etiam pro Agonizantibus, Animabus Purgatorii, &c.

Ad Indulgentias consequendas: Hodiernas, Sodalitatis, Pontificis, quinque Sanctorum, Religionis, &c.

*Devoti Affectus.*
*Ad Christum suscipiendum.*

O Dies beata! dies amoris mei, nesciens vesperum, non habens occasum; in qua te JESU mi plenè fruar! junge me tibi, amor meus, inseparabili dilectionis vinculo: quia tu solus amanti sufficis.

Quando intuebor te, ô bone JESU, Sponse mi! quando te videbo? anima mea corpus tuum concupiscit: trade te mihi, & sufficit.

Da mihi amantissime Jesu: ut sumendo Corpus tuum Sanctissimum, tibi incendio amoris uniar: & in amore amoris tui moriar.

Inter brachia tua Jesu mi confugiam: in-

ter

ter ea me abſcondam : & recludam ; liceat ibi demorari.

Pone te , ùt ſignaculum ſuper cor meum : ut nullum, niſi propter te diligam ; annulô tuo deſponſa te mihi ; quia tibi ſoli juro fidem; tibi me tota devotione commendo.

Saucia mi Jeſu, ſaucia interiora mea tui amoris jaculô : & torpentem ignibus ſalutaribus penetra, & ſuccende.

Oſtende quæſo hodie magnalia tua Domine : & glorificetur dextera tua ; quia non eſt ſpes alia,, nec refugium mihi, niſi tu Deus meus.

*Deſiderium.*

ACcende igitur mei appetens JESU in me tui deſiderium; per illud, quo Mater tui amantiſſima , triduô te perditum quæſivit : per illud , quo tuam Reſurrectionem ſuſpiravit : per illud , quo ardens , poſt Aſcenſionem tuam , quotidie . Euchariſtiæ deliciis fruebatur.

*Oratio ad B. Virginem.*

O Dulciſſima Virgo Mater Maria ! te deprecor, & exoro : ut mihi miſerrimo peccatori aſſiſtere digneris in hac hora, qua pretioſiſſimum Filii tui Corpus, Sanguinem ſum percepturus , ſicut adſtitiſti eidem Unigenito , pro nobis in cruce morienti. Loquere , obſecro , nunc apud Filium tuum pro me : ut tuo benignô auxiliô , dignè perficiam hoc , quod intendo, mentéque purificatus , & corpore , ad meam æternam ſalutem dignè Manna illud abſconditum merear deguſtare O MARIA flos Virginum! contege nunc palliô miſericordiæ tuæ , maculas cordis, & animæ meæ : comitare me dulciter euntem in occurſum Filio tuo : impetra mihi benedictionem ab ipſo ; ut illum cum omni divina ſua virtute , decenter præparatus , ſuſcipere, eidémque reclinatorium

gratum, & dulce, in anima mea præbere possim.

*Aspirationes ante SS. Communionem.*

JESU infinitè amabilis, & desiderate millies! veni in cor meum, posside illud, & conforma cordi tuo. Veni sol, qui totum mundū illustras; illumina mentem meam. Veni cœlestis Auster, & animum perfla; ut in eo crescant grata tibi virtutū aromata. Veni pluvia divinissima, stillicidiô tui pretiosi Sanguinis irriga mentem meam.

O mare gratiarum JEsu! te amplector. Veneror caput spinis coronatum, frontem sputis defœdatam, oculos vigiliis marcidos, genas colaphis contusas, saucios cruce humeros, vulneratum corpus tuum, totum, & totum exosculor.

Exosculor pedes, manúsque clavis, & pectus lanceâ, magísque mei amore transfixum. Si ferrum admittis; me, licèt durum, non rejicies.

Confiteor, &c. Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.

*Dum Venerabile suscipis.*

ANima Christi sanctifica me; Corpus Christi salva me; Sanguis Christi inebria me; aqua lateris Christi lava me; passio Christi conforta me; ô bone JESU exaudi me; intra Vulnera tua absconde me: ne permittas me separari à te: ab hoste maligno defende me: in hora mortis meæ voca me; & jube me venire ad te, ut cum Sanctis, & Electis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

*Aspirationes post Communionem.*

SAlve mi dulcissime, ac potentissime hospes, Domine JESU Christe, diu desiderate, anxiè quæsite, sollicitè adamate! Saluto te ex intimis animæ meæ visceribus. Adoro te cum Patre, & Spi-

Spiritu Sancto apud me indignissimum, commorantem. Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus.

Jæm habeo te, qui habes omnia: possideo te, qui potes, & possidés omnia. Quid negabis mihi, cui te fontem bonorum omnium dedisti.

Reforma vires animæ meæ; da, ut clara cognitione, stabili cogitatione, & ardentissimo amore tibi æternùm adhæream. Omnem amorem, omnē affectum in te refundo. Habeto clavim ordis mei, ut ingrediaris pro tuo arbitrio, plenus illius Dominus. In te uno fixum sit cor meum, pretiosissime JESU, amore mei crucifixe. Sentiat præsentiæ tuæ dulcedinem mens mea; ut inescata amore tui, extra te velit nihil, in quo gaudeat. O Vulnera! ô latus Christi, animæ paradise! haurio hinc cum Chrysostomo Sanguinem, & merita Domini mei.

*Gratiarum Actio.*

O Clementissime JESU, hospes meus! sis cum Patre, & Spiritu Sancto benedictus infinities omnium SS. affectu. Quàm parùm amavi sic me amantem! quàm parùm respexi sic me intuentem! Adoro te omni possibili affectu omnium cveaturarum, apud me, & in omnibus speciebus Eucharisticis existentem. In gratiarum actionem offero tibi, Patri, & Spiritui Sancto hoc SS. Sacramentum: omnes laudes, & gratias, quas ab instanri, Incarnationis tuæ torâ vitâ persolvisti; illas etiam, quas B. V. Mater Maria in tui Conceptione, Nativitate, Communione, persolvit. Per hanc Dominam præsento exiguam tibi meam gratitudinem.

*Oblatio.*

Liberalissime DEUS, qui te mihi in cruce

ce obtulisti, & in Eucharistia jam dedisti: me etiam tibi totum offero, renovo, & confirmo vota mea, & omnia tibi serviendi desideria. Nihil mundanum deinceps recipiet cor meum, in quo tu Deus habitas. Quidquid est erga me, & creaturas affectus, in te solum transfero. Te solum amo, qui solus es omnia. Resigno me juxta tuum arbitrium ad vitam, vel mortem. Sed quæ commutatio, quòd pro Domino servum, pro DEO reddam hominem peccatorem? Dilectissimum proinde tibi, tuum, & Virginis Filium, mihi intimè unitum, terræ, cœlíque thesaurum, & velut rem meam offero, Pater clementissime: ut in eo tibi perfectè complaceas.

Offero tibi omnem ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, innocentiam, paupertatem, mansuetudinem, patientiam, fortitudinem, temperantiam, constantiam, cum omnibus aliis virtutibus; ut illis suppleatur, quod mihi deest.

*Petitio.*

TRansfige dulcissime Domine JESU medullas, & viscera animæ meæ, suavissimo, ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenáque, & Apostolica, sanctissima charitate, ut langueat, & liquefiat anima mea solo semper amore, & desiderio tui; te concupiscat, & deficiat in atria tua: cupiat dissolvi, & esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem, & saporem, & omne delectamentum suavitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui re-

plean-

pleantr viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domûs Dei: te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem, & gloriam nominis tui: cum humilitate, & discretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perseverantia usque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies, & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcebo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea; thesaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum.

*Alia.*

O Clementissime Deus! in multitudine miserationum tuarum introivi ad altare tuum, à quo, conscius iniquitatis meæ, repellendus eram. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Nè projicias me à facie tua, pro cujus salute te abjecisti: & cui te alimoniam dedisti. Parce Pater amantissime, parce filio prodigo, da veniam omnium debitorum meorum per pretiosissimum Filii tui Sanguinem, per vulnera, per omnia ejus merita precor.

Hæ sunt divitiæ, quas offero in satisfactionem omnium debitorum. Da, ut Divinâ præsentiâ tuâ liberer ab omni prorsus peccato, & replear donis gratiæ tuæ. Da gratiam emendandi omnes etiam minimos defectus. Vides: quàm sim fragilis; ego qui-

dem

dem lapſum cavere propono; ſed tamen labor, manum tuam ſuppone. Da, ut à rebus terrenis me expediam, fræna inordinatos affectus meos. Da, ut mihi moriar, & tibi vivam. Eripe me de inimicis meis. Robora mentem meam, & intellectum juxta muneris mei exigentiam illumina, voluntatem tui amore inflamma.

Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum Sanctum innova in viſceribus meis. Cohibe per potum felleũ omnem concupiſcentiam. O humilis Jeſu! qui te ad ſpecies panis, & vini demittis, & à multis indignè tractaris; da mihi humilitatem per omnem tuam demiſſionem. O Domine! qui in horto, ſanguineo cum fervore orâſti; fac, ut laudem te ex toto corde. Ne dormitet anima mea in tuo cultu, & ſervitio

O JESU patientiſſime! per alapas, per flagella, & per innumeras, quas pro me perpeſſus es, injurias te obteſtor: da mihi patientiam, & manſuetudinem, per amicè ſuſceptum à proditore oſculum.

O mi Salvator! concede mihi, quod deeſt ad felicem mortem! cui tam vicinus ſum; ut hodie evenire poſſit. Per tuum agonem, & tres in cruce horas, miſerere mei in illo mortis articulo; à quo pendet æternitas.

Pone etiam inter juſtitiam tuam, & peccatricem animam meam, cùm ad tribunal tuum venerir, ſacratiſſimi Sanguinis tui pretium.

Denique ſis in omnibus mihi omnia: Dux in dubio, Magiſter in ſcientiis, virtus in tentationibus, Medicus in ægritudine, ſolamen in anguſtiis, clypeus in adverſitate, ſalus in agone.

Per eandem charitatem, quâ dilexiſti mundum, miſerere omniũ; pro quibus mori dignatus es. Applica paſ-

passionis tuæ uberrima merita iis, pro quibus orare soleo, ac teneor juxta priorem, & hodiernam meam intentionem; omnibúsque aliis. Largire vitam beatam defunctis: in qua pleniùs pro me etiam te laudent, & ament: gratiam vivis, quâ tibi magìs placeant. Per merita B. Virginis tuæ Genitricis, & omnium Sanctorum, præsertim hodiernorum; quæ tuis unita meritis offeto repræsentanda æterno Patri.

O Augustissima Virgo Mater Maria! quæ dignè portâsti eum, quem nunc suscepi; impetra illa, quæ Filius tuus vult, & scit mihi, meísque optima. Impetra etiam veniam in tepida tanti Hospitis susceptione.

Denique ô S. Tutelaris Angele, S. Ignati, S. Xaveri, Sancti Patroni, Divi hodierni, Sancti Menstrui, & Tutelares alii, omnésque Sancti, & Sanctæ Dei; qui per mortalitatis pelagum ad portum æternæ felicitatis pervenistis, securi de vobis; de periclitantibus nobis, per vestra merita vos precor, estote solliciti: impetrate precibus vestris, ut Panis Eucharisticus sit mihi, meísque robur in infirmitatibus, periculísque animæ, ac corporis: ut fortitudine cibi hujus ambulemus per mundi desertum usque ad montem Dei, & patriam cœlestem: Ubi copia sinè interruptione, gloria sinè invidia, securitas sinè periculo, vita sine morte, bonum omne sinè fine. Amen.

*Ad B. Virginem.*

BEnedico te toto corde, & animo, Maria, terra fructifera; quia per te hodie fructum vitæ communicavi; qui in horto tuæ fœcundissimæ Virginitatis excrevit. Et commendo me tibi; ut pro me apud Filium tuum intercedas; & quacunque ratione in summi Sacramenti hujus sumptio-

ptione deliqui, hujus negligentiæ, & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens permansisti; utinam & ego tam divini Sacramenti perceptione ità sanctificer: ut deinceps cor, & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu conceptô Filiô de Spiritu Sancto, magnificas laudes Domino decantâsti, & in DEO salutari tuo mirabiliter exultâsti; ô si tuis efficacibus precibus id assequar Virgo Mater! ut cum hac sacra communione, novum, & ardentem Spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione piè verser, tantóque Redemptori, & hospiti me nunquã ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

---

## EXERCITIUM VESPERTINUM.

*Præmittes Examen Conscientiæ, quod in honorem 5. Vulnerum Christi coram aliqua Crucifixi Imagine sic instituere poteris.*

*Punctum I.*

BEnignissime, & liberalissime Deus, quem hìc mihi præsentem viva fide credo, adoro, laudo, & glorifico; ago tibi infinitas gratias pro universis beneficiis tuis (*hìc mente breviter præstita à Deo beneficia recole*) nominatim pro custodia hujus diei; ad cujus finem me pervenire clementer indulsisti. In hujus meæ gratitudinis testimonium exosculor amabilissimum JESU Christi, Filii tui, quẽ mei amore crucifigi voluisti, dexteræ manûs Vulnus. Et, quia ego miser, & egenus pro iñumeris beneficiis tuis debitas gratias referre non valeo, offero tibi in gratiarum actionem hoc ipsum pretiosissimum JESU mei Vulnus, unà cum reliquis ejusdem infinitis, & copiosissimis BB. V. Mariæ, aliorúmque Sanctorum.

ctorum, & Juſtorum meritis, & me totum in obſequium tuum.

*Punct. II.* Pariter exoſculor gratioſiſſimum ejuſdem ſiniſtræ manûs Vulnus: Et per has amantiſſimas Crucifixi Salvatoris mei his vulneribus ſignatas manus novum iſtud à te peto beneficium: ut me hac nocte ab omnibus tum animæ, tum corporis periculis tueri, & prævię illuminare digneris; ut peccata, & defectus, præſertim, quæ ab ultimo examine commiſi, agnoſcere, & ad ſecuram quietem capiendam perfectæ contritionis actu expiare, ac me in futurum emendare valeam.

*Punct. III* Quare recogitabo pauliſper in amaritudine animæ meæ: quibus peccatis; defectibus, & negligentiis à Divinæ voluntatis tuæ placitis, præprimis hodie, deflexerim: ut illa in tuo, mi JESU, miſericordiſſimo lateris Vulnere (quod pariter venerabundè exoſculor) perſincerum doloris actum ſepelire, tuóque pretioſo pro me ſuſo Sanguine animam meam abluere poſſim.

*Hic primò recogita: quomodo tua matutina propoſita, præſertim circa fugam alicujus particularis vitii, vel exercitium particularis alicujus virtutis ſis executus. Deinde: quomodo te habueris. 1. In cogitationibus. 2. In verbis, & locutionibus. 3. In reliquis actionibus, & cuſtodia ſenſuū. 4. Quomodo tempus transegeris: an non aliquando otiosè. 5. Quid boni, quod facere poteras, omiſeris.*

*Punct. IV.* O miſericordiſſime Deus! Ecce ego ingratiſſimus peccator projicio, & proſterno me ad pedes dilectiſſimi Filii tui JEſu Chriſti, meæ ſalutis amore crucifixi: & licèt indignus, cum ſerio tamen pœnitentiæ affectu exoſculor pretioſiſſimum illius

dex-

dexteri pedis Vulnus. Deprecor ex animo, quòd tam ingratus tibi hodie, & aliàs toto vitæ tempore vixerim. Doleo ex toto corde: quòd te amabilissimũ Deum, summum, & omni amore dignissimum Bonum meum, tot innumeris peccatis hactenus offenderim. Ah! utinam possem omnia mea delicta annihilare, & infecta reddere; ne videlicet te offendissem charissimum Deum meum! Scis enim, ô Domine! & vides cor meum, quòd, quia te verè intimè, & super omnia amo; summoperè me cruciet, & affligat, quòd vel unquam in aliquid, quod tibi displicet, consenserim.

*Punct. V.* Unde ex hoc tui amore statuo, seriò me deinceps emendare, & omnia, ad quæ obligor, exequi, & præstare. Specialiter autem tuâ gratiâ fretus cavebo: ne labar in his N. & conabor magis in omnigenis virtutibus (*præsertim N.*) proficere: confirma hanc bonam voluntatem meam per infinita JESU Filii tui merita: quæ in satisfactionem meorũ peccatorum offero; & cujus sacratissimum sinistri Pedis Vulnus devotè exosculor: meque efficaci auxilio adjuva: ut deinceps cautius per dexteram virtutum semitam ambulem, & nunquam ad sinistram peccatorum viam declinem, Amen.

*Hìc tuum pectus percute in honorem S. Vulnerum Christi quinquies dicendo:* DEUS propitius esto mihi peccatori: *vel si placet: aliam adjice pœnitentiam. Subjungere potes* Litanias Lauretanas: *& coram aliqua BB. V. M. Imagine, illam osculando pete benedictionem:* Me cum prole pia † benedic ô Virgo MARIA!

*Ad S. Angelum Custodem.*

ANgele Dei, qui Custos es mei, me tibi

tibi commiſſum pietate ſuperna hac nocte ità ab omnibus animæ, & corporis periculis cuſtodi, defende, & protege: ut, reſtauratis ſomnô viribus, ad novos pro Deo meo labores lætus, & alacer, ſi ità ei placuerit, iterum ſurgere valeam. Amen.

*Ad SS. Patronos.*

O S. Jeſu Chriſti Nutritie, D. Joſephe! cæteríque Sancti Patroni mei! veſtræ protectioni ego humillimus cliens veſter comendo pariter corpus, & animam meam: ut contra omnes hoſtium inſidias defenſus, in pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Amen.

*Bona Intentio.*

QUietem captabo, amabiliſſime Deus: quia ſic placitum eſt ante te; ut vires reficiam, & me pro tuo ſancto ſervitio aptiorem efficiam. Quoties per noctem reſpiravero. toties ſis à me benedictus, mi Deus, & vos: ô Jeſu, Maria, Joſeph! ô S. Angele Cuſtos, & reliqui Patroni mei! toties renovo, & renovari volo omnes meas aliàs elicitas bonas intentiones, affectus, & propoſita. Amen.

*Subjunge* 1. De profundis, *&* 3. *vel* 1. Pater, Ave, Credo.

*Aſpirationes ad Deum in depoſitione veſtium.*

ILlumina oculos meos Domine; ne unquam obdormiam in morte. Feciſti nos ad te: & inquietum eſt cor noſtrum; donec requieſcat in te.

Da mihi, dulciſſime JESU, in te ſuper omnem creaturam requieſcere: & cor meum in te pacificare.

Da Domine, quem das dilectis tuis, ſomnum: ut, dum oculi mei honori, & amori tuo dormiunt, tota mens, & cor meum in omni reſpiratione mea, tibi & amori tuo vigilet.

*Dum vadis ad lectum.*

EN vitæ, & æternæ ſalutis incertus, intro ſepulchrum: utinam

nam te nunquam offendissem, ô pulchritudo pulchra nimis! Doleo ex animo Redemptor mi: & propono seriam emendationem.

O Pater æterne! offero tibi Filium tuum cum omnibus doloribus, & vulneribus ejus, pro omnibus péccatis, & negligentiis meis.

O Beatissima Virgo MARIA! adjuva me, ô vos SS. Patroni mei! suscipite me, túque Angele mi Custos custodi me ab omni peccato & insidiis diaboli. In nomine Patris, &c. Miserere mei Deus, &c. *Vide infrà in Officio Defunct.*

Pater noster, & Ave Maria, &c. In pace in idipsum dormiam, & requiescam, JESU! MARIA! JOSEPH!

Salus Infirmorum.

*Affectus animæ devotæ tempore ægritudinis.*

O Pater æterne, hoc tuum est donum, & tua voluntas sancta, beneplacens, ac perfecta. Benedico te, & me resigno ad omnia, quæ tibi, ô sapientia æterna! placuerint in tempore, & æternitate.

In manibus tuis sortes meæ: sive vivimus, sive morimur, tui bone JESU sumus. Fiat voluntas tua: sana me Domine, & sanabor: salvum me fac, & salvus ero. Tu enim mortificas, & vivificas, deducis ad inferos, & reducis.

Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum! finge, & excoque me, si ità tibi visum est, in camino tribulationis, ut fiam vas in honorem, ad gloriam nominis tui. Hìc ure, hìc seca, modò in æternum parcas!

O Pater! ô Medice animæ meæ! tu nôsti quid expediat: omnia in vero judicio fecisti: ex amore summo, & sapientia æterna. Tu, quæso, mecum sis in tribulatione: ut in patientia possideam animam meam: de manu tua bona suscepimus,

mus, mala, quare non ſuſtineamus momento uno, pro gloria æterna? ſi oportuit te pati, & ità intrare in gloriam tuam, nonne & me ſinè murmure, & querela oportet? cùm tot meis peccatis infernũ ſim toties promeritus; cùm tu mihi tanta paraveris; cùm amore mei, ô Bonitas immenſa, & charitas infinita! dignatus ſis mori.

*Conformatio voluntatis noſtræ cum Divina, tempore morbi.*

O Dulciſſime JESU! neque vitam, neque mortem, ſed tuum beneplacitum deſidero, expecto: fiat mihi ſecundùm voluntatem tuam. Si vis, ut moriar, dulcis JESU! ſuſcipe ſpiritum meũ, licèt ad veſperum veniam noviſſimus; da mihi: ut tecum, & in te requiem accipiam ſempiternam: ſi verò vis, ut diutiùs vivam, dulcis JESU! pro hoc gratiæ tuæ ſuffragium rogo; da, ut reliquum vitæ corrigam, atque in holocauſtum me tibi totum offeram in gloriam tuam, ſecundùm beneplacitum tuum. Amen.

*Ejaculatoriæ Ægrotantium.*

JUſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Bonum mihi, quia humiliâſti me: ut diſcam juſtificationes tuas.

Deus propitius eſto mihi peccatori: da veniam, & in gratia tua mori.

O cur unquam te offendi, ô amabiliſſima Bonitas! ô Majeſtas colendiſſima!

Doleo, jam ſinceriſſimo amore tui; qui amari ſuper omnia infinitè dignus es.

Agnoſco, & amplector charitatem tuam erga me: deteſtor ingratitudinem meam erga te.

Recordare JESU pie, quòd ſim cauſa tuæ viæ; ne me perdas illa die.

Quærens me ſediſti laſſus: redemiſti cru-

cem passus: tantus labor non sit cassus.

## LITANIÆ PRO INFIRMIS.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Qui sanas contritos corde, miserere.
Qui vulneras, & mederis, miserere.
Qui mortificas, & vivificas, miserere.
Qui deducis ad inferos, & reducis, miserere nobis.
Qui orantes in sua infirmitate curare consuevisti, miserere
Qui propter misericordiam tuam salvos facis omnes sperantes in te, miserere.
Qui Job ulcere pessimo percussum sanâsti, miserere nobis.
Qui Ezechiam, ad te clamantem à morbo liberâsti, miserere.
Qui dæmonium à Sara depulisti, miserere.
Qui Tobiam lumen cœli videre fecisti, mis.
Qui Chananæam, pro filia post te clamantem exaudisti, mis.
Qui socrum Petri à febri liberâsti, mis.
Qui mulierem contractam ad perfectam sanitatem erexisti, mis.
Qui filium Principis jam mori incipientem à febri salvâsti, miserere nobis.
Qui puerum Centurionis verbô sanâsti, miserere nobis.
Qui Paralyticos, & Leprosos sanâsti, & mundâsti, miserere.
Qui à spiritibus immundis vexatos, & obsessos liberâsti, miserere nobis.
Qui mulierem, per tactum fimbriæ tuæ, à sanguinis fluxu sanâsti, miserere.
Qui surdos audire fecisti, miserere.
Qui claudis gressum restituisti, miserere.
Qui

Qui mutorum ora aperuisti miserere.
Qui cœcos illuminâsti, miserere.
Qui omnes infirmos, & ægros tangendo sanâsti, miserere.
Qui omnes oneratos, & laborantes reficis, miserere nobis.
Qui omnes languores nostros portâsti, miserere nobis.
Qui filium mortuum, Matri Viduæ vivum restituisti, miserere
Qui filiam Archisynagogi ad vitam revocâsti, miserere.
Qui Lazarum quatriduanum à mortuis resuscitâsti, miserere.
Qui ægrotos visitâsti, & visitantibus præmia æterna promisisti, miserere.
Qui per umbram Petri multos ab infirmitatibus suis liberâsti, miserere.
Qui per sudaria, & semicinctia Pauli multos infirmos curâsti, miserere nobis.
Qui per ossa Elisæi mortuum ad vitam revocâsti, miserere.
Deus, adjutor, & Protector noster, miser.
Susceptor, & Liberator noster, miserere.
Refugium nostrum, & cornu salutis nostræ, miserere nobis.
Fortitudo, & potentia nostra, miserere.
Salvatôr, & Redemptor noster, miserere.
Porpitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Propitius esto, Libera nos Domine.
Ab omni malo, libera.
Ab omni peccato, libera nos Domine.
Ab omni morbo, & languore, libera.
A peste, & omni contagione, libera.
Ab omni impatientia, & pusillanimitate, libera.
Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
A periculis mortis, libera nos Domine.
A doloribus inferni, libera nos Domine.
A subitanea, & improvisa morte, libera.
A damnatione perpetua, Libera.

Per tentationem tuam, libera nos Domine.
Per lachrymas, & ærumnas tuas, libera.
Per labores, & defatigationes tuas, libera.
Per tristitiam, & tædium tuum, libera.
Per pavorem, & mœrorem tuum, libera.
Per sitim, & famem tuam, libera.
Per agoniam, & sanguineum sudorem tuum, libera.
Per sacrosancta vulnera tua. libera.
Per pretiosum Sanguinem tuum, libera.
Per crucem, & passionem tuam, libera.
Per mortem, & sepulturam tuam, libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
In die Judicii, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut spatium veræ pœnitentiæ nobis concedere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut compunctionē cordis, & fontem lachrymarum nobis donare digneris, Te rog.
Ut nos visitare, & consolari digneris, Te rogamus.
Ut aërem salubrem, & sanitatem mentis, & corporis nobis largiri digneris, Te rog.
Ut indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum nobis concedere digneris, Te rogamus.
Ut gratiam, & consolationem Sancti Spiritûs cordibus nostris infundere digneris, Te rogamus.
Ut nos in hora mortis contra omnes diaboli insidias munire digneris, Te rog.
Ut nos in tua gratia mori, & ad finem usque perseverare concedas, Te rog.
Ut extrema nosta benedicere, & sanctificare digneris, Te rog.
Ut spiritum nostrum in manus tuas suscipere digneris, Te rog.

Ut

Ut post obitum nostrū paradisi januas nos gaudenter introire concedas, Te rog.
Ut nos exaudire digneris, Te rog.
Filii Dei, Te rog.
Agnus Dei, &c. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleis.
Pater noster, &c.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Convertere, Domine usquequo.
℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Adjutor noster esto; ne derelinquas nos.
℟. Neque despicias nos Deus salutaris noster.
℣. Adjuva nos Deus, salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

*Oremus.*

DEUS infirmitatis humanæ singulare præsidium! auxilii tui virtutem super infirmos famulos tuos clementer ostende; ut ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes repræsentari mereantur.

DEus, qui Unigeniti tui patientiâ antiqui hostis contrivisti superbiam: da nobis quæsumus: quæ idem pro nobis pertulit, dignè recolere, sícque exempló ejus cuncta nobis adversantia æquanimiter tolerare.

DEus, humani generis benignissime Conditor, & misericordissime Redemptor,

qui hominem, invidiâ diaboli ab æterna felicitate dejectum, unigeniti Filii tui pretioso sanguine redemisti: vivifica nos famulos tuos gratiæ tuæ vigore, & jacentibus manum porrige salutarē; reple nos omni gaudio cordis, & lætitia spirituali; expelle à nobis omnes hostiles insidias, & mitte nobis medium salutis, Angelum pacis, qui nos in angustiis positos consolationibus tuis attollat, quibus in præsenti consequamur auxilium & in futuro præmia comprehendamus æterna.

MIsericordiam tuam humiliter deprecamur, Omnipotens Deus: quæ amissam nobis gratiam reconciliet, atque munus patientiæ in illatis omnibus, semper, & ubique protegendo, impertiat.

DEus, sub cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt; suscipe preces humiliter ad te clamantium: ut de omni adversitate, & ægritudine liberati, perpetua te gratiarum actione laudemus. Per Dominum nostrum, &c.

*Vita Morientium desiderium bonæ Mortis.*

OPto mori: quia mortalis sum naturâ meâ, & Dei Creatoris mei sic factus sum voluntate; fiat ergo voluntas tua.

Opto mori: In testimonium, & protestationem tuæ supremæ potestatis, dominiíque in me divini, tum totalis meæ, rerúmque omnium à Deo dependentiæ.

Opto mori: ut primi originalis peccati pœnam, etiam mihi justô Dei judiciô, inflictam, expleam morte, tandémque illud finaliter expiem.

Opto mori: ut sim extra periculum omne peccandi, vel in minimo contra dignitatem, Majestatem, Sanctitatē, Bonitatem Dei mei.

Opto

Opto mori: ut ſequar exemplum pretioſiſſimæ Dei Matris Mariæ, Dominæ meæ, quæ carens alioquin moriendi debito, mori tamen voluit: & ipſa, ut ſua morte mortem Filii honoraret.

Opto mori: ut in articulo mortis meæ omnes Dei mei voluntates circa me abſolutiſſimè impleantur.

Opto mori: ut citiùs finem ultimum, ad quem creatus ſum, aſſequar.

Opto mori: ex deſiderio quàm primùm accedendi ad Sanctos, eóſque videndi cum pretioſiſſima Dei Matre; Verbi quoque Incarnati Sacratiſſimam humanitatem; præ omnibus autem Trini, & unius DEI eſſentiam; ut mediante morte mea tandem DEO æternaliter, ac beatificè conjungar in gloria conſummata.

Opto mori: ne ampliùs exoſâ vitâ meâ alios ſcandalizem.

Opto mori: ut in Eccleſia ſepultus, nunquam ampliùs avellar, & recedam à præſentia Auguſtiſſimi Sacramenti.

Opto mori: ut finaliter de theſauro Eccleſiæ, Sanctorúmque communione participem.

*Affectus Moribundi.*

AGnoſce Domine, creaturam tuam, non à Diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo vivo, & vero; quia non eſt alius DEUS præter te. Agnoſce, repeto Domine, creaturam tuam, & animam ſervi tui, cujus delicta juventutis, & ignorantias ne memineris; ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam memor eſto mei in gloria claritatis tuæ.

Liberet me à cruciatu Chriſtus, qui pro me crucifixus eſt. Liberet me ab æterna morte Chriſtus, qui pro me mori dignatus eſt. Chriſtus, verus ille Paſtor, inter oves ſuas me agnoſcat, & in ſorte electorum ſuorum

constituat. Ità precor, ità spero, in nomine Dei Patris, qui me creavit; in nomine Jesu, Christi Filii Dei vivi, qui pro me passus est; in nomine Spiritûs Sancti, qui in me gratiâ sua sæpiùs effusus est. Amen.

*Ad B. V. Mariam.*

AUdi & tu gemitus, ac dolores ultimos servuli tui, dulcissima Mater mea, Virgo Maria! audi, fons vitæ, & veniæ, salus omnium in te sperantium; audi, & intercede: ut à ministris satanæ liberatus, cum Christi fidelibus, Filii tui servis, & amicis in beata regione vivorum collocer.

Maria, Mater gratiæ, Mater Misericordiæ: tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

*Ad SS. Angelos.*

ANgele mi Custos fidelissime, vósque purissimi Spiritus cœlestes, S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphaël, omnésque alii Sancti Angeli Dei! respicite in me: jam eo gemens, & suspirans, mors mihi in oculis est, & mortalium nemo, sed vos potestis succurrere. Ah! ne me deserite in his summis angustiis meis: dum momentum illud imminet, in quo salus mea omnis, aut perenne stat exitium. Ah juvate! ante Regem Regum pro me supplices procumbite, meúmque mihi obsecro, conciliate Judicem: Sententiam ego nunc supremam expecto, Vos impetrate eam mihi ad vitam sempiternam.

Subvenite SS. Angeli, succurrite dilectissimi Sancti DEI, Patroni mei NN. jamjam, adest Judex meus Christus Jesus. Miserere, ô JESU! Miserere.

*Suspiria coram Crucifixo.*

AD te iterum Redemptor meus, converto me: convertere & tu ad me, ô spes

ô spes unica, Jesu crucifixe!

Concede clementissime JESU etsi vilissimæ huic creaturæ tuæ beneficium Redemptionis, & recipe miserabilem animam meam intra brachia misericordiæ tuæ.

O JESU! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua, & refecit immensa charitas tua.

O bone JESU! è cujus venis copiosissimus Sanguis profluxit in mei redemptionem. Ergóne ego illa merces tantô pretiô comparata? ego certè ovis illa perdita, fateor; reduc errantem, ô dulcis Pastor! & repone inter illas, quæ sunt in ovili tuo.

Respice Domine sancte Pater ex excelso cœlorum habitaculo; ecce vox sauguinis fratris nostri JESU, pro nobis clamat ad te de Cruce.

Respice innocentes manus Christi tui, quæ distillant pretiosum Sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam, & ne requiras opera manuum tuarum.

Intuere illud lanceâ perfossum pectus, & amore mei apertum cor, méque ex sacro illo fonte renova.

Per sacros illos pedes, duris clavis perforatos, dirige gressus meos: ut non recedant hâc horâ à semita lucis, & veritatis.

Defige oculos, ô Pater cœlestis! in faciem hanc dilecti Filii tui, & in membra conquassata Christi tui, & per miserias, quas ille amore mei sustinuit, miserere mei.

Propter peccata populi tui vulnerâsti dilectum cordis tui: Eja Pater misericordissime, quod ego non mereor, meretur pro me Christus tuus, cujus amore amplectere me gratiâ tuâ, ùt filium, & da mihi osculum pacis æternæ. O JESU Crucifixe, in quem credo, in quem spero, quem amo, & amabo in æter-

ternum ; aſſiſte nunc potenti manu miſerrimæ tuæ creaturæ in hac ultima neceſſitate, ut feliciter hunc paſſum mortis pertranſeã.

Pone paſſionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam.

Totum me tibi dedo, ne me rejicias : ad te venio, ne me repellas : ſum enim caro de carne tua, & os ex oſſibus tuis.

Suſcipe me, Jeſu Crucifixe, inter amoroſa brachia tua, quæ pro me in cruce extenſa cerno, & complector: ſuſcipe me inter deſiderabiles affectus tuos, & trahe ad te anhelantem animam meam : ſuſcipe in pace ſpiritum meum.

Credo, doleo, ſpero, amo, ô bone Jeſu! fiat voluntas tua Jeſu! Maria! Joſeph! dulciſſimi amores mei! patiar ego; moriar ego veſtri amore ; veſter ſim totus : & nullatenus meus, ac ſi prorſus nihil eſſem : Jeſus! Maria! Joſeph!

*Commendatio animæ.*

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Sancta Maria, Ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate pro eo,
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Omnes SS. Pontifices, & Confeſſores, orate.
Sancte Benedicte, ora.

San-

Sanĉte Francifce, ora.
Omnes Sanĉti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sanĉta Maria Magdalena, ora.
Sanĉta Lucia, ora.
Omnes Sanĉtæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sanĉti, & Sanĉtæ Dei, Intercedite pro eo.
Propitius efto, Parce ei Domine.
Propitius efto, Libera eum Domine.
Ab ira tua, libera.
A mortis periculo, libera.
A mala morte, lib.
A pœnis inferni, lib.
Ab omni malo, lib.
A poteftate diaboli, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Crucem, & Paffionem tuam, lib.
Per mortem, & fepulturam tuam, lib.
Per gloriofam refurrectionem tuam, lib.
Per admirabilem afcenfionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritûs Sanĉti Paracliti, lib.
In die Judicii, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut ei parcas, Te rog.
Kyrie eleifon,
Chrifte eleifon.
Kyrie eleifon.

Oremus.

PRoficifcere anima Chriftiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit; in nomine Jefu Chrifti, Filii Dei vivi, qui pro te paffus eft; in nomine Spiritûs Sanĉti, qui in te effufus eft; in nomine Angelorum, & Archangelorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: in nomine Principatuum, & Poteftatum: in nomine Cherubim, & Seraphim: in nomine Patriarcharum, & Prophetarum: in nomine Sanĉtorum Apoftolorum, & Euangeliftarum: in nomine Sanĉtorum Martyrum, & Confefforum: in nomine Sanĉtorum Monachorum, & Eremitarum: in nomine Sanĉtarum Virginum, & omni-

omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei: hodie fit in pace locus tuus, & habitatio tua in Sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Oremus.

DEUS misericors, DEUS clemens, DEUS, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccatum pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ remissionis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentē, deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituū, miserere lachrymarum ejus: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo, charissime frater, & ei, cujus es creatura, committo; ut, cùm humanitatis debitū morte interveniente persolveris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat: Judex Apostolorum tibi Senatus adveniat: Candidatorum tibi Martyrum Triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: jubilantium te Virginum chorus excipiat; & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus adstringat: mitis, atque festivus Christi JESU aspectus tibi appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter in-

intereſſe decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod ſtridet in flam̃is, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus ſatanas cum ſatellitibus ſuis: in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & juſti epulentur, & exultent in conſpectu DEI. Confundantur igitur, & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter tuũ impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei vivi intra Paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſolvat; atque ad dexteram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Oremus.

SUſcipe Domine ſervum tuum in locum ſperandæ ſibi ſalvationis à miſericordia tua.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ex omnibus periculis inferni, & à laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Henoch, & E-

liam de comuni morte mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Noë de diluvio. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Abraham de Ur Chaldæorum.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Moysen de manu Pharaonis, Regis Ægyptiorum.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Susannam de falso crimine.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti David de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Petrum, & Paulum de carceribus.

℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem, & Martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberâsti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

Oremus.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamúrque te, Domine JESU Christe Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericor-

ricorditer descendisti, Patriarcharum tuorum finibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à Diis alienis creatam, sed à te solo DEO vivo, & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundùm opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conspectu tuo: & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licèt enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium; & Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit: & zelum Dei in se habuit, & Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

Delicta juventutis, & ignorantias ejus quæsumus, ne memineris Domine: sed secundùm magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine servum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam SS. Angeli Dei, & perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claves regni cœlestis traditæ sunt. Adjuvet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Joannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orate pro eo omnes Sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt, ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum

Patre

Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

*Egressâ autem animâ dicatur hoc Responsor.*

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, * Suscipientes animam ejus : * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Suscipientes. ℣. Requiem æternam dona ei Domine : & lux perpetua luceat ei. ℟. Offerentes eam in conspectu Altissimi.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. *secretò.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem. &c.
℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine, commendamus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo, tibi vivat ; & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge : Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

# SUBSIDIUM DEFUNCTORUM.

## Siste Viator,

*Quisquis humani aliquid habes.*
*Lege, seu Parentum, seu Natorum, seu Fratrum, seu Amicorum voces.*
*Dum hìc stas, horrendùm uruntur:*
*O si videre illos liceret!*
*O si audire!*

*Cor vel glaciatum in lachrymas solverent. Tu ergo saltèm, mi Fili (audi precantes) tu Frater, tu Pater, tu Consodalis, tu Amice familiarissime, nostri miserere: & quà precibus, quà piis operibus, nostros leva cruciatus. Per Sanguinem Christi, cui nostrum solatium pro suo est, per salutis, ac gloriæ tuæ studium, per charitatis Christianæ Officium, per illum tuum in nos mortales amorem rogamus:* EXTINGUE FLAMMAS NOSTRAS, *aut saltèm mitiga.*


MISEREMINI MEI MISEREMINI MEI
SALTEM VOS AMICI MEI.

# OFFICIUM PARVUM *PRO* FIDELIBUS DEFUNCTIS.

AD MATUTINUM.

SAncta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut à peccatis solvantur.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

*Hymnus.*

DIes iræ, dies illa, Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sybilla.
Quantus Tremor est futurus,
Quando Judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

*Ant.* De temporibus, & momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ità veniet.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

FIdelium DEUS omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Sancta, & salubris, &c. *ùt suprà.*

℣. Requiem æternam. &c. *ùt suprà.*

*Hymnus.*

TUba, mirum spargens sonum,

Per

Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit, & natura,
Cùm reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.
℣. Audivi vocem, &c.
*Antiph.* Ipſe Dominus in juſſu, & voce Archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.
℣. Domine exaudi. &c.
*Orat.* Fidelium Deus. &c.

AD TERTIAM.

Sancta, & ſalubris, &c. *ùt ſuprà.*
℣. Requiem æter. &c.

*Hymnus.*

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus!
Quem Patronum rogaturus!
Cùm vix juſtus ſit ſecurus.
℣. Audivi vocem, &c.
*Antiph.* Dico autem vobis: quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii.
℣. Domine exaudi, &c.
*Orat.* Fidelium Deus, &c. *ùt ſuprà.*

AD SEXTAM.

Sancta, & ſalubris, &c. *ùt ſup.*
℣. Requiem æter. &c.

*Hymnus.*

Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratìs,
Salva me, fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quòd ſim cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus,

Tantus labor non sit cassus.

℣. Audivi vocem, &c.

*Antiph.* Ego sum resurrectio, & vita; Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Fidelium Deus, &c. *ùt sup.*

AD NONAM.

Sancta, & salubris, &c. *ùt sup.*

℟. Requiem æter. &c.

*Hymnus.*

Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.
Ingemisco, tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

℟. Audivi vocem, &c.

*Ant.* Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: Et ego resuscitabo eum in novissimo die.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Fidelium, &c.

AD VESPERAS.

Sancta, & salubris, &c. *ùt sup.*

℣. Requiem æter. &c.

*Hymnus.*

Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hœdis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

℣. Audivi vocem, &c.

*Antiph.* Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me; non ejiciam foras.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Fidelium Deus, &c. *ùt sup.*

AD COMPLETOR.

Sancta, & salubris, &c. *ut sup.*

℣. Requiem æter. &c.

*Hymnus.*

ORo supplex, & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymosa dies illa,
Quâ resurget ex favilla,
Judicandus homo reus;
Huic ergo parce, Deus!
Pie JESU Domine,
Dona eis requiem. Amen.

℣. Audivi vocem, &c.

*Antiph.* Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Fidelium Deus, &c. *ut sup.*

*Commendatio.*

O Magne Pater, Domine
Misericordiarum,
JESU redemptis Sanguine,
Sis immemor irarum.
Indulge te amantibus,
Tuam benignitatem.
Pœnásque deprecantibus,
Concede libertatem. Amen.

LITANIÆ.
Pro Fidelibus Defunctis.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, Ora pro fidelibus defunctis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro fidelibus def.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes SS. Apostoli, & Euangelistæ, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Omnes SS. Pontifices, & Confessores, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro fidelibus defunctis.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Propitius esto, Parce eis Domine.
Ab omni malo, Libera eos Domine.
Ab ira tua, lib.
A potestate diaboli, libera.
A flamma ignis, lib.
A regione umbræ mortis, lib.
Per Immaculatam Conceptionem tuam, lib.
Per dulcissimum nomen tuum, lib.
Per multitudinem miserationum tuarũ, lib.
Per acerbissimam passionem tuam, libera eos Domine.
Per sanctissima Vulnera tua, lib.
Per pretiosissimum Sanguinem tuum, lib.
Per ignominiosissimam mortem tuam, quâ nostram, moriendo destruxisti, lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Qui Mariam absolvisti, & Latronem exaudisti, Te rog.
Qui salvandos salvas gratìs, Te rog.
Ut Parentes, & Propinquos, & Benefactores nostros à pœnis inferni eripere digneris, Te rog.
Ut omnes fideles defunctos ab æterna damnatione liberare digneris, Te rog.
Ut desiderium ipsorum adimplere digneris, Te rog.
Ut Angelorum cœtus eis splendidus subveniat, Te rog.
Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, mise-

misereri digneris, Te rogamus audi nos.

Ut eis omnibus parcere, & indulgere digneris, Te rog.

Ut eos gloriosus Apostolorum chorus excipiat, Te rog.

Ut candidatorum Martyrum triumphans exercitus eos lætus circumdet, Te rog.

Ut eos Sanctorum Confessorum agmen deducat, Te rog.

Ut jubilantium Virginum eos corona comitetur, Te rog.

Ut ad auctorem suum, qui eos de limo terræ formavit, redire valeant, Te rog.

Ut mitis, atque dulcis JEsu, tuus eis aspectus benignus appareat, Te rog.

Ut ad dexteram tuam in electorum consortium eos accipias, Te rogamus.

Fili Dei, fons pietatis, Rex tremendæ Majestatis. Te rog.

Qui claves habes mortis, & inferni, Te rog.

Agnus Dei, &c. Dona eis requiem.

Agnus Dei, &c. Dona eis requiem.

Agnus Dei, &c. Dona eis requiem sempiternam.

℣. Domine exaudi, &c.

*Orat.* Fidelium Deus, &c. *ut sup. p.* 379.

DEus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis, & omnibus hìc, & ubique in Christo quiescentibus, da propitiùs veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sinè fine lætentur.

*Oratio pro animarum salute dicenda.*

MIserere, Domine mi animabus, quæ singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tormentis, neque spes ulla, nisi quòd ad imaginem, & similitudinem tuam creatæ sunt, quæ antiquitate, vel paupertate, aut negligentia, in oblivionem Parentum, & servorum tuorum traditæ sunt: qua-

rum

rum primus, septimus, tricesimus, aut anniversarius dies nunquam celebratur. Parce eis Domine, & defende plasma tuum; libera eas, à cruciatu, & tormentis: porrige eis dexteram tuam, & perduc eas in locum refrigerii, lucis, & pacis; Per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

*Aliæ Orationes pro animabus Purgatorii.*

I.

O Domine JESU! rogo te per pretiosissimumSanguinem, quem sudans in horto effudisti, libera animas Fidelium Defunctorum è pœnis purgatorii, maximè verò animam desertissimam: & perduc eam ad locum gloriæ tuæ, ut te laudet, benedicat, & prædicet in æternum. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

II.

O Domine JEsu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem; quem effudisti in tua flagellatione dirissima, libera animas Fidelium Defunctorum è pœnis Purgatorii; maximè verò animam liberationi proximam, & perduc eam ad locum gloriæ tuæ, ut te laudet, &c. *ut suprà in prima oratione.*

Pater noster, Ave Maria.

III.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti in spinea coronatione tua, libera animas Fidelium Defunctorum è pœnis Purgatorii, maximè verò animam diutissimè cruciandam: & perduc eam ad locum gloriæ tuæ, ut te laudet, &c. *ut suprà.*

Pater noster, Ave Maria.

IV.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti in dira crucifixione tua, libera animas Fidelium

Defunctorum è pœnis Purgatorii; maximè verò animam meritis præcedentem: & perduc eam ad locum gloriæ tuæ, ut te laudet, benedicat, & prædicet in æternum. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

V.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti è latere tuo benedicto, libera animas Fidelium Defunctorum è pœnis Purgatorii; maximè verò animam Matri tuæ chariorem, & perduc eam in locum gloriæ tuæ, ut te laudet, benedicat, & prædicet in æternum. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

*Oratio pro his, qui in Cœmeterio requiescunt.*

DEus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, & famulabus tuis, & omnibus hic, & ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sinè fine lætentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

---

# MAJUS OFFICIUM DEFUNCTORUM.

## AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Regem, cui omnia vivunt, * Venite, adoremus. *Et repetitur.* Regem.

*Psalmus 94.*

VEnite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione: & in psalmis jubilemus ei.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Quoniam Deus magnus

gnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit, Venite, adoremus.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus: Venite, adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto; ubi tentaverunt me Patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Regem, cui omnia vivunt. Venite, adoremus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Venite, adoremus.

Regem, cui omnia vivunt*

Venite, adoremus.

## IN I. NOCTURNO.

*Pro Feria II. & V.*

*Ant.* Dirige. *Psal.* 5.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meã.

Manè astabo tibi, & videbo quoniam: non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: neque per-

permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant, judica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices justo.

Domine, ùt scuto bonæ voluntatis tuæ: coronâsti nos.

Requiem æternã, &c.

*Ant.* Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.

*Antiph.* Convertere Domine.

*Psalm.* 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequò?

Convertere Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno au-

tem

tem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubescant valdè velociter.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Convertere Domine, & eripe animam meam: quoniam non est in morte, qui memor sit tui.

*Antiph.* Ne quando.

*Psalmus* 7.

DOmine Deus meus, in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat ùt leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandâsti: & synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

Judica me Domine secundùm justitiam meam: & secundum in-

nocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum: scrutans corda, & renes Deus.

Justum adjutorium meum à Domino: qui salvos facit rectos corde.

Deus Judex Justus, fortis, & patiens: nunquid irascitur per singulos dies.

Nisì conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas, ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Ne quando rapiat, ut leo, animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

Pater noster. *totum secretò.*

*Lectio* I. *Job.* 7.

PArce mihi Domine; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi, quid faciam tibi ô Custos hominum! Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam; & si manè me quæsieris, non subsistam.

℟. Credo, quòd Re-

demptor meus vivit: & in novissimo die de terra surrecturus sum. *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

℣. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.

Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

*Lect. ii. Job. 10.*

TÆdet animam meam vitæ meæ; dimittam adversùm me eloquium meum; loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: noli me condemnare: indica mihi: cur me ità judices? Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi sunt? aut, sicut videt homo, & tu videbis? Numquid, sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora; ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias, quia nihil impium fecerim: cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitâsti à monumento fœtidum. *Tu eis Domine dona requiem, & locum Indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℟. Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

*Lectio iii. Job. 10.*

MAnus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me. Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nónne, sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulâsti? Pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & nervis compegisti me; Vitam, & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine quando veneris judicare terram, ubi me abſcondam à vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.
℣. Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco: dum veneris judicare, noli me condemnare. ℟. Quia peccavi nimis in vita mea.
℣. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℟. Quia peccavi nimis in vita mea.

IN II. NOCTURNO.

*Pro Feria III. & VI.*

*Ant.* in loco paſcuæ.

*Pſalm.* 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ: propter nomen ſuum.

Nam, etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paráſti in conſpectu meo menſam: adversùs eos, qui tribulant me.

Impinguáſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Requiem ætern. &c.

*Ant.* In loco paſcuæ ibi me collocavit.

*Antiph.* De icta.

*Pſalmus* 24.

AD te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: ſupervacuè.

Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Diri-

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Salvator meus, & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Delicta juventutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.

Secundùm miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas.

Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas: requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.

Quis eſt homo, qui timet Dominum: legem ſtatuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: & ſemen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius, ut manifeſtetur illis.

Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus, & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in te.

Innocentes, & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.

Libera Deus Iſraël: ex

ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem æternam. &c.

*Antiph.* Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

*Ant.* Credo videre.

*Psalm.* 26.

DOminus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes: ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversùm me castra: non timebit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium: in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini: & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui.

In petra exáltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino,

Exaudi Domine vocem meam, quâ clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in ani-

animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini: in terra viventium.

Expecta Dóminum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus.

℟. Cum principibus populi sui.

Pater noster. *totum secretò.*

*Lectio iv. Job 13.*

REsPonde mihi: quãtas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea, & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observâsti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerâsti: Qui quasi putredo, consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.

℟. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea: * Nec aspiciat me visus hominis.

℣. De prôfundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

℟. Nec aspiciat me visus hominis.

*Lectio v. Job. 14.*

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judiciũ? Quis potest facere

mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es? Breves dies hominis ſunt; numerus menſiū ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede ergo paululùm ab eo, ut quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarii, dies ejus.

℟. Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miſer? ubi fugiam, niſì ad te Deus meus? *Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die.

℣. Anima mea turbata eſt valde; ſed tu Domine ſuccurre ei.

℟. Miſerere mei, dum veneris in noviſſimo die.

*Lectio vi. Job. 14.*

QUis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putáſne mortuus homo rurſum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumerâſti, ſed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine: dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Dirige Domine Deus meus, in conſpectu tuo viam meam.

℟. Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Requiem æternam dona eis Domine; & lux perpetua luceat eis. ℟. Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

IN III. NOCTURNO.

*Pro Feria iv. & Sabbatho.*

*Antiph.* Complaceat.

*Pſalmus 39.*

EXpectans expectavi Dominum: & intendit mihi.

Et exaudivit preces meas; & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.

Et ſtatuit ſuper petram pedes meos: & direxit greſſus meos.

Et immiſit in os meum canticum novum: carmen Deo noſtro.

Videbunt multi, & timebunt; & ſperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus: & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

Multa feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tibi.

Annuntiavi, & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.

Sacrificium, & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum, & pro peccato non poſtulâſti: tunc dixi; Ecce venio.

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuã; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi juſtitiam tuam in Eccleſia magna: ecce, labia mea non prohibebo; Domine tu ſcîſti:

Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine nè longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me: Domine, ad adjuvandum me reſpice.

Confundantur, & revereantur ſimul, qui quærunt animam meam: ut auferant eam.

Convertantur retror-

ſum, & revereantur, qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam: qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper; Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.

Adjutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Complaceat tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me reſpice.

*Antiph.* Sana Domine.

*Pſalmus* 40.

BEatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtratum ejus versâſti in infirmitate ejus.

Ego dixi; Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et ſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipſum.

Adversùm me ſuſurrabant omnes inimici mei: adversùm me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum conſtituerunt adversùm me: Numquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.

Tu

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmâſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſraël, à ſæculo, & usque in ſæculum: fiat, fiat.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Sana Domine animam meam; quia peccavi tibi.

*Antiph.* Sitivit anima mea.

*Pſalmus* 41.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ità deſiderat anima mea ad te Deus meus.

Sitivit anima mea ad Deum, fortem vivum; quando veniam; & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea: & quare conturbas me:

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultûs mei, & Deus meus.

Ad me ipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui: ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo

vitæ

vitæ meæ: dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei: & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera, in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster. *totum secretò.*

*Lectio vii. Job. 17.*

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

℟. Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: * Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei Deus, & salva me.

℣. Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me. ℟. Quia in inferno

nulla est redemptio, miserere mei Deus, & salva me.

*Lectio viii. Job. 19.*

PElli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylô ferreô, & plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Domine, secundum actum meum noli me judicare; nihil dignum in conspectu tuo egi: ideò deprecor Majestatem tuam: * Ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

℣. Amplius lava me Domine ab injustitia mea, & à delicto meo munda me.

℟. Ut tu Deus deleas iniquitatem meam.

*Lectio ix. Job. 10.*

QUare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulũ. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

℟. Libera me Domine de viis inferni, qui por-

portas æreas confregiſti, & viſitâſti infernum, & dediſti eis lumen, ut viderent te: * Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Clamantes, & dicentes: Adveniſti Redemptor noſter.

℟. Qui erant in pœnis tenebrarum.

℣. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℟. Qui erant in pœnis tenebrarum.

*Sequens Reſp. dicitur ſolùm in die Commemorationis omnium Defunctorum: & quando dicuntur tres Nocturni.*

℟. Libera me Domine, de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cœli movendi ſunt, & terra: *Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira,

℟. Quando cœli movendi ſunt, & terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valdè. ℟. Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda. Quando cœli movendi ſunt, & terra. Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

AD LAUDES.

*Antiph.* Exultabunt Domino.

*Pſalmus* 50.

MIſerere mei Deus: ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut

ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sū: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestâsti mihi.

Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: & exaltabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.

Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Requiem æternam dona eis, &c.

*Antiph.* Exultabunt Domino ossa humiliata.

*Antiph.* Exaudi Domine.

*Psalmus* 64.

TE Decet hymnus Deus in Sion: & tibi

tibi reddetur votum in Jerufalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorū prævaluerunt fuper nos: & impietatibus noftris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegifti, & affumpfifti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domûs tuæ: fanctum eft templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus falutaris nofter: fpes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, fonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à fignis tuis: exitus matutini, & vefpere delectabis.

Vifitâfti terram, & inebriâfti eam: multiplicâfti locupletare eã.

Flumen Dei repletum eft aquis, parâfti cibũ illorum: quoniam ità eft præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ftillicidis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pinguefcent fpeciofa deferti: & exultatione colles accingentur.

Induti funt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Exaudi Domine orationem meam, ad te omnis caro veniet.

*Antiph.* Me fufcepit.

*Pfalmus* 72.

DEus, Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra deferta, & invia, & inaquofa, fic in fancto apparui tibi: ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt misericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiêrunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, lætabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

*Pſalmus* 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter: benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Me ſuſcepit dextera tua Domine.

*Ant.* A porta inferi.

*Canticum Ezechiæ.*

*Iſaiæ* 38.

EGo dixi, in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæſivi reſiduum annorum meorum: dixi; Non videbo Dominum

num Deum in terra viventium.

Non aſpiciam hominem ultrà: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me: quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de manè usque ad veſperam finies me.

Sperabam usque ad manè: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea.

De manè usque ad veſperam finies me. ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ùt columba.

Attenuati ſunt oculi mei: ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me: quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpìritûs mei, corrìpies me, & vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine ſalvum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* A porta inferi erue Domine animam meam.

*Antiph.* Omnis ſpiritus.

### *Pſalmu* 148.

LAudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes An-

Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aqua omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini,

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & nón præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Bestiæ, & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum, & terram: & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus: filiis Israël populo appropinquanti sibi.

*Psalmus* 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus:

in-

increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.

*Pſalmus* 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam. &c.

*Antiph.* Omnis ſpiritus laudet Dominum.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

*Antiph.* Ego ſum.

*Canticum Zachariæ. Luc.* 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum: qui à ſæculo ſunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Ut ſinè timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſerviamus illi.

In ſanctitate, & juſti-

tia

tia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Requiem ætern. &c.

*Antiph.* Ego sum resurrectio, & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

*Psalmus* 129.

DE profundis clamavi ad te Domine; Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem ætern. &c.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus, &c.

Oremus.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes,

dotes, famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus: ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

*In die Commemorationis omnium Defunctorum dicitur Oratio.* Fidelium Deus omnium, &c. *ut sup.* & *in fine*, Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia, &c.

Requiem ætern. &c.

*In die obitûs defuncti, vel defunctæ.*

*Oratio.*

ABsolve, quæsumus Domine, animam famuli tui, (*vel* famulæ tuæ) N. ut defunctus, (*vel* defuncta) sæculo, tibi vivat; & quæ per fragilitatem carnis, humana conversatione commisit, tu veniâ misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum, &c.

*Pro defuncto Episcopo, vel Sacerdote.*

*Oratio.* Deus, qui inter, &c. *ut sup. f.* 409.

*Pro Patre, & Matre.*

*Oratio.*

DEUS, qui nos Patrem, & Matrem ho-

honorare præcepisti: miserere clementer Patris, ac Matris meæ, eorúmque peccata dimitte, méque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum, &c.

*In anniversario die Defunctorum.*

*Oratio.*

DEus, indulgentiarũ Domine, da animabus famulorum, famularúmque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoravimus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, ℟. Amen.

# FORMULA EXAMINIS PARTICULARIS.

*Utilissimi ad quemcunque habitum vitii extirpandum, vel virtutis implantandum. Potest autem id hoc modo in suffragium animarum Purgatorii institui.*

1. *Mane post absolutas ordinarias preces, si fieri potest, coram aliqua Crucifixi, & B. V. Imagine sic ora.*

AMabilissime Domine, Jesu Christe, meæ salutis amore crucifixe! ego, licèt conspectu tuo indignissimus, fretus tamen pietate, & misericordiâ tuâ infinitâ, & amore tui impulsus, coram SS. V. Maria, & universa cœlesti curia efficacissimè statuo, ac propono, quòd omni possibili modo conabor hodie, ab hoc momento, usque ad proximum examen evitare penitus hunc defectum N (*vel*, quòd, ubicunque, præsertim commodè, potero, conabor exercere virtutem N.)

*Die Dominico*. In honorem SS. Trinitatis pro animabus illius adorationi maximè addictis.

*Die Lunæ*. In honorem S. Angeli Tutelaris, & aliorum SS. Angelorum; pro animabus eorum cultui singulariter devotis.

*Die Martis*. In honorem S. N. cujus nomen gero, pro animabus, quæ sui nominis Sanctos specialius coluerunt.

*Die Mercurii*. In honorem S. Josephi, S. Menstrui, & aliorum meorum SS. Patronorum, pro animabus, quæ hos Sanctos magìs dilexerunt.

*Die Jovis*. In honorem SS. Sacramenti, pro animabus, quæ illud speciali veneratione prosequebantur.

*Die Veneris*. In honorem Jesu patientis, pro animabus, quæ Christi Passionē pia meditatione coluerunt.

*Die Sabbathi*. In honorem BB. V. Mariæ, pro animabus, quæ illam tenerius amabant.

Te igitur per pretiosissimum tuum Sanguinem pro me effusum suppliciter rogo, ut efficacem gratiam, propositum hoc fideliter exequendi, concedere digneris.

Tu quoque, ô mea dulcissima Mater Maria! hanc meam voluntatem tuo Filio præsenta, & pro ea constanter, & inviolatè adimplenda, cum S Josepho, S. Angelo Custode, S. N. & reliquis meis SS. Patronis intercede, & à me omnem servandi hujus propositi incuriam, ac negligentiam, aliáque ejus violandi pericula remove, ut charus tibi filius vivam, & moriar: ô Mater, ô Virgo! habe curam salutis meæ. Amen.

2. *Per diem hoc propositum sæpiùs renova.*

3. *Si per diem fortè propositum violaveris, dic corde, vel simul ore, admovendo manum pectori:* Deus propitius esto mihi peccatori: Renovo, &, quod statui,

tui, iterum ſtatuo: *hoc autem facilè, etiam aliis præſentibus, unico animi ſuſpirio fieri poteſt.*

4. *Saltem Veſperi (nam bonum foret, ſi hoc etiam manè paulò ante prandium faceres) v. g. in ordinario tuo examine conſcientiæ, in tertio puncto examina, & reflecte te, quoties hoc propoſitum violâſti; & nota, ut deinde diem cum die, ſeptimanam cum ſeptimana conferre poſſis, quantùm nimirùm profeceris: & ſi nunquam propoſitum violâſti, gratias age, & dic:* Gloria Patri, & Filio, &c. Laus, honor, & gratia Jeſu, Mariæ, Joſeph, & SS. Patronis meis, nunc, & in perpetuum: quod ſtatui, id eadem, qua ſtatui intentione, tuâ, mi Deus, gratiâ fretus, iterum ſtatuo, renovo, ac confirmo. Amen.

*Si autem violâſti, dole, & dic:* O Jeſu miſerere mei tam inſtabilis in bono peccatoris! doleo, quòd tam incurius, & inconſtans in meo propoſito fuerim. S. Maria, Mater Dei, & reliqui SS. Patroni mei, intercedite, ut me emendem, & quæ ſtatui, iterúmque modò ſtatuo, fideliùs inpoſterum exequar. Amen.

*Potes tibi dein imponere pro pœnitentia v. g. tot oſcula terræ, vel percuſſiones pectoris, &c. quoties propoſitum violâſti.*

---

# SEPTEM PSALMI
## POENITENTIALES.

*Antiph.* Ne reminiſcaris.

*Pſalmus* 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, &c. *Vide ſuprà pag.* 389.

*Psalmus* 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi; Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu redemisti impie tatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore oportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus, & mulus: quibus non est intellectus.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino, misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate justi: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

*Psalmus* 37.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmâsti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus

bus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desiderium meũ: & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei: adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longè steterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantnr.

Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi; Ne quando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem meĩ vivunt, & confirmatĩ

ſunt ſuper me : & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi : quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus : ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum : Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus* 50.

MIſerere mei Deus : ſecundùm magnam miſericordiam tuam, &c. *pag.* 402.

*Pſalmus* 101.

DOmine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero : velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei : & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ùt fœnum, & aruit cor meum : quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitûs mei: adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis : factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi : & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, adversùm me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam : & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ, & indignationis tuæ : quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt : & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes : & memoriale tuum in generationem, & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion : quia tempus

pus miserendi ejus; quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationẽ humilium: & non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cœlo in terram aspexit:

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum:

Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: & reges, ut serviant Domino,

Respondit ei in via virtutis suæ: Paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu Domine fundâsti: & terram: & opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, &c.

*Psalmus* 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. &c. *ut suprà* *p.* 409.

*Psalmus* 141.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veri-

veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sinè aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia mea disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri, &c.

*Antiph.* Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

## LITANIÆ

De Omnibus Sanctis.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Chri-

Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
Omnes Sancti Beatorum spirituum Ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, Joachim ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora pro nobis.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli, & Evangelistæ, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane, orate.
Sancti Joannes, & Paule, orate.
Sancti Cosma, & Damiane, orate.
Sancti Gervasi, & Protasi, orate.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme ora pro nobis.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Ludov. S. Casimire Stanislae

Omnes

Omnes SS. Pontifices & Confessores, orate.
Omnes Sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Sancte Pater Ignati, ora pro nobis.
Sancte Francisce Xaveri, ora.
Sancte Francisce Borgia, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate.
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Barbara, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis, Domine.
Propitius esto, Exaudi nos, Domine
Ab omni malo, Libera nos, Domine.
Ab omni peccato, lib.
Ab ira tua, lib.
A subitanea, & improvisa morte, lib.
Ab insidiis diaboli, lib.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, lib.
A spiritu fornicationis, lib.
A fulgure, & tempestate, lib.
A morte perpetua, lib.
Per mysterium S. Incarnationis tuæ, lib.
Per Adventum tuum, libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam, libera nos.
Per Baptismum, & S. Jejunium tuum, lib.
Per Crucem, & Passionem tuam: lib.
Per Mortem, & Sepulturam tuam, lib.
Per sanctam Resurrectionem tuam, lib.
Per admirabilē Ascensionem tuam, lib.
Per Adventum Spiritûs Sancti Paraclyti, libera nos Domine.
In die Judicii, lib.

Pec-

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rog.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, Te rogamus.
Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in S. Religione conservare digneris, Te rog.
Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rog.
Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rog.
Ut cuncto populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris, Te rog.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris, Te rog.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rog.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus.
Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rog.
Ut omnibus Fidelibus Defunctis requiem æternam donare digneris, Te rog.
Ut nos exaudire digneris, Te rog.
Fili Dei, Te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, &c. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, &c. Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.

*Psalmus* 69.

DEus, in adjutorium meum intende: Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur, & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te; & dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: DEUS adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

Gloria Patri, &c.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N. L. 13

℟. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mi-

℣. Mitte nobis auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi, parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis, Domine; misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur; averte.

OMnipotens, sempiterne Deus! miserere famulo tuo, Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut, te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

URe igne Sancti Spiritûs renes nostros, & cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Fi-

FIdelium DEUS omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularúmque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio, & operatio, a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris, simul & mortuorum, omniúmque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quósque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum, &c.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

---

# PRECES MISCELLANEÆ.

## Artificium ingentis Meriti.

*QUo Angelos sinè fine Deo Sanctus, Sanctus, Sanctus accinentes imitari, & continuò diu, noctúque Deum amare, laudare, plurimós-*

*mósque singulis momentis virtutum actus exercere, sícque modico, & ferè nullo labore plurimùm mereri, & ingentes gratias lucrari possis. Nempe, si pactum hoc cum Deo facias: quòd quoties, respiraveris, vel quoties diu, noctúque sanguis in vena motus fuerit (in valente homine per horam facilè quater millies accidit) toties illud respirium, vel venæ pulsum velis esse signum, quòd ames Deum super omnia, temetipsum offeras, de peccatis doleas, & omnia ea grata habeas, quæ unquam bona facta sunt, &c.*

*Valorem hujus praxis inde conjice, quòd Deus voluntatem operis ipsius loco habeat; deinde, si quis secum statueret, quòd quoties respiraverit, toties optet facere omnia mala, & renovare omnia peccata, quæ unquam facta sunt, quantum crimen committeret! si proinde hoc pactum in malo tam efficax est, quidni bonæ intentioni applicatum summè utile erit? quod si placeat, en ejus formulam.*

## PACTUM CUM DEO.

OMnipotens æterne Deus, Dominus, ac Creator meus, ego vilissima creatura tua amore, & desiderio te continuò amandi, & absque ulla cessatione laudandi impulsus, cùm mentem meam humanæ vitæ conditio tuis laudibus indesinenter affixam esse non sinat, hoc tecum pactum inire cupio.

Quoties spiritum duxero, aut sanguis in vena motus fuerit, nunc pro tunc declaro: toties me facere, & renovare velle omni meliori, quo fieri potest, modo, sequentes actus, licet fortè tunc ad hos mente minùs adverterem.

Toties, inquam, adoro te summa, quâ fieri po-

poteſt, demiſſione. Gratulor tibi ex animo infinitas perfectiones tuas; gaudeo etiam propter opera bona, quæ unquam honori tuo ab ulla creatura facta ſunt, hodie fiunt, fiéntque deinceps, quæ vellem omnia ego ipſe præſtitiſſe.

Toties intenſiſſimo omnium Sanctorum, & Angelorum affectu te toto corde amo ſuper omnia propter bonitatem tuam: & ex hoc amore ſumme doleo de peccatis meis omnibus totius vitæ. Spero ex infinita tua miſericordia eorum veniam. Propono cum gratia tua mori potius, quam te poſthac offendere. Doleo pariter ob tot peccata ab initio mundi hucusque à quocunque hominum commiſſa.

Toties in manus tuas commendo me, & mea omnia; præſertim finem vitæ meæ, ut diſponas de me prout viſum fuerit divinæ voluntati tuæ, cui me totum in omnibus plenè conformo.

Toties in unione omnium meritorum Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, offero Divinæ Majeſtati tuæ omnia mea verba, cogitationes, & opera, ut ea cedant unicè ad Sanctiſſimi tui nominis gloriam, & exaltationem.

Toties offero tibi paſſionem Domini noſtri, Jeſu Chriſti, merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, nec non omnia Miſſæ Sacrificia, quæ hactenus peracta ſunt, vel usque ad conſumationem ſæculi peragentur, in gratiarum actionem pro beneficiis omnibus corporis, & animæ à te mihi præſtitis.

Hæc omnia toties rata, grata, & iterata volo, quoties poſſibile, vel imaginabile eſt, id ipſum iterari, aut multiplicari, atque hoc purè ob amorem tui, omnésque bonos, &

& sanctos fines, qui ab ullo haberi possunt. Tu mi Deus, gratum habe hoc meæ servitutis obsequium, & sinceri amoris testimonium. Amen.

*Hæc formula prolixior semel in die præsertim manè recitanda foret, sed sæpissimè, quoties nempe menti inciderit, utiliter repetetur. Quod haud erit difficile, & unica hac cogitatione fieri poterit:* Domine, quod volui, volo. *Vel:* Domine, pactum meum renovo. *Sic fructum ingentem facili labore mercaberis.*

*Intentio Matutina.*

Suscipe Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, hoc diei hujus auspicium, accipe totius diei obsequium: quod Divinæ Majestati tuæ offero in gratiarum actionem pro beneficiis, in satisfactionem pro delictis, ad laudem, & gloriam nominis tui, in unione sanctissimorum operum dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuit. Per eundem, &c.

*Ante quodlibet opus.*

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

*Post opus peractum.*

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

ORATIO.

*Alexandri Papæ VIII. Singulis diebus manè recitanda.*

Adoro te Sanctissima TRINITAS, Pater, & Filius; & Spiritus Sanctus, tres Personæ, unus, & solus DEUS.

Dejicio me in abyssum mei nihili sub conspectu Divinæ Majestatis tuæ.

Credo firmissimè, paratus mille vitas profundere, in contestationem omnium eorum, quæ nobis in Sacra Scriptura revelâsti, & per Ecclesiam tuam credenda proposuisti.

Omnem

Omnem spem meam in te colloco, & quidquid possum habere boni, sive spiritualis, sive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum desidero, spero, & volo solùm consequi de tua manu, Deus meus, vita mea, & unica spes mea.

Consigno tibi hodie, & in perpetuum, corpus, & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor, me non consentire, neque consensurum unquã, quantum in me est, in ullã rem, quæ fiat vel cum minima offensa Tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè, impendere omne esse meum, facultates, ac vires meas, ad servitiũ, & gloriam Tuam.

Paratus sum suscipere, quascunque adversitates mihi Paterna tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus quantus sum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur; atque omnes homines, Te glorificent, & ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summè de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria, in cœlo, & in terra.

Gratias tibi ago infinitas, pro innumeris beneficiis, quæ mihi, & toti mundo collata sunt, & in dies incessanter à benignissima tua Providentia conferuntur.

Amo infinitam bonitatem tuam, propter seipsam, ex toto affectu cordis, & animæ meæ; & vellem, si possem, amare eo amore, quô te amant omnes Angeli, & Homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati Tuæ in unione meritorum passionis, vitæ, & mortis Christi, Beatissimæ semper Vir-

Virginis, & omnium Sanctorum, nunc, pro semper, omnia opera mea, pretiosissimo Sanguine JESU Redemptoris nostri lota, & involuta.

Statuo omninò, participem me facere, quantùm possibile est, Indulgentiarum omnium, per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragii pro animabus Purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod possum, offerre in pœnitentiam, & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cùm tu sis infinitè dignus omni amore, & servitio (siquidem tu es, qui es) doleo quantum possum maximè, de omnibus peccatis meis, illáque detestor super omnia alia mala: peto humillimè veniam, facióque firmissimum propositum nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum.

In Vulnera tua me projicio ô Jesu! ibi me absconde, & defende, hodie, & semper: largiatis mihi gratiam videndi tui, & amandi te in æternum. JESU! MARIA! JOSEPH! Vobis dono meum cor, & animam meam.

*Sui ipsius oblatio à S. Ignatio S. J. F. usurpata.*

SUscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, & voluntatem meam omnem; quidquid habeo, vel possideo, & mihi largitus es, id totum tibi restituo, & tuæ voluntati prorsus trado gubernandum. Amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones, & dives sum satìs: neque aliud ultrà posco. Qui vivis, &c.

*Affectus S. Ignatii.*

O DEUS! ego amo te,
Nam prior tu amâsti me,

En

En libertate privo me.
Ut spontè vinctus sequar te.
Nîl suggerat memoria,
Nisì de tua gloria,
Nîl intellectus sapiat
Præterquam, ut te capiat.
Protestor nihil velle me,
Nisì quod sciam velle te,
Quæ donô tuô mea sunt:
Hæc donô meô tua sunt.
A te accepi, recipe:
Quid iis velis, præcipe,
Guberna, sicut scis, & vis,
Nam scio, quòd amator sis.
Amore solo dona me:
Ut ego quoque amem te,
Et vigil, & per somnia,
Hæc dando dabis omnia.

*Affectus S. Francisci Xaverii.*

O DEUS! ego amo te,
Nec amo te, ut salves me!
Aut, quia non amantes te,
Æterno punis igne.
Tû, Tu mi JESU, totum me,
Amplexus es in Cruce;
Tulisti Clavos, Lanceam,
Multámque ignominiam.
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem; & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te?
O JESU amantissime!
Non ut in cœlo salves me,
Aut ne æternum damnes me:
Nec præmii ullius spe;
Sed, sicut Tu amâsti me,
Sic amo, & amabo Te,
Solùm, quia Rex meus es;
Et solùm, quia Deus es.

Visi-

*Visitando Sanctissimum Sacramentum.*

COram te, ô Sanctissimum Sacramentum! cum summa reverentia procido, & cum omnibus Angelis, & Archángelis, cum Thronis, & Dominationibus, cúmque omni militia cœlestis exercitûs hymnum gloriæ tuæ concino, dicens: Centies millies laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum.

Credo, mi JESU, firmissime, quòd sub his speciebus tu Dominus meus, & Deus meus continearis. Innovo, & offero tibi omnes affectus, & actus adorationis, salutationis, & recognitionis hìc, & ubique elicitos, & impensos: Et non tantùm hìc, sed in omnibus Ecclesiis per totum mundum existentibus.

Gratias tibi ago Domine, pro thesauris omnibus beneficiorū, quos hic aliquando effudisti, & effundes. Doleo de omnibus peccatis, & irreverentiis, quibus aliquando in hoc loco offensus es, & offenderis.

Vos verò, Sancti Angeli, SS. Patroni, ad quorum Ecclesiam vivo, & in qua sepeliar, adorate, magnificate, pro me istum Dominum meum hìc præsentem, omni modo, omni tempore, in æternum. Amen.

*S. Francisci Xaverii pro conversione Gentilium, Hæreticorum, & peccatorum.*

*Oratio.*

ÆTerne rerum omnium effector, Deus, memento abs te animas Infidelium, hæreticorum, & peccatorum procreatas, eásque ad imaginem, & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine! in opprobrium tuum his ipsis infernus repletur. Memento Jesum, dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli quæso Domine, ultrà permittere, ut Filius tuus ab infidelibus,

libus, hæreticis, & peccatoribus contemnatur, ſed precibus Sanctorum virorum, & Eccleſiæ Sanctæ, Filii tui Sponſæ, placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, infidelitatis, contumaciæ, & malitiæ eorum, effice, ut ipſi quoque agnoſcant, timeant, diligant aliquando, quem miſiſti Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum, qui eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus, cui ſit gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

*Pro Zelo animarum.*

QUanti ſit pretii anima, tu nôſti Domine Jeſu, qui te pro animabus noſtris impendiſti; da, ut ſemper magìs illud ipſum ego cognoſcam: tum ut ne illam, vel cum totius mundi lucro deperdam, tum ut vel unius animæ ſalutem, etiam cum corporis mei, & mundi totius detrimento procurem. Ità rogo per vulnera Jeſu Chriſti; per ubera benedictæ Matris; per conceptionem ejusdem, Amem.

*Oratio S. Thomæ Aquinatis ad emendationem vitæ quotidie recitanda.*

COncede mihi miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt, ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, perfectè adimplere, veraciter agnoſcere. Ad laudem, & gloriam nominis tui ordina ſtatum meum, & quod à me requiris, ut faciam, tribue ut ſciam: Et da exequi, ſicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus, inter proſpera, & adverſa non deficere: ut in illis non extollar, in iſtis non deprimar; de nullo gaudeam, vel doleam, niſì quod ducat ad te, vel à te abducat. Nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſì tibi,

Vileſcant mihi Domine omnia tranſitoria, & chara mihi ſint omnia tua propter te, & tu DEUS præter omnia. Tædeat me gaudii, quod eſt ſinè te, nec aliquid cupiam, quod eſt extra te. Delectet me Domine labor, qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ eſt ſinè te. Frequenter da mihi Domine cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me, Domine Deus, obedientem ſinè contradictione; pauperem ſinè defectione; caſtum ſinè corruptione; patientem ſinè murmuratione; humilem ſinè fictione; & hilarem ſinè diſſolutione, & triſtem ſinè dejectione; maturum ſinè gravitate; agilem ſinè levitate; timentem ſinè deſperatione; veracem ſinè duplicitate; operantem bona ſinè præſumptione; proximum corrigere ſinè elatione; ipſum ædificare verbô, & exemplô ſinè ſimulatione. Da mihi Domine Deus cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio: da nobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberum: quod nulla ſibi vendicet perverſa, & violenta affectio. Largire mihi Domine Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiam te fideliter expectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem, tuis beneficiis uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam, Qui cum Patre, &c.

*Devoti Adoleſcentis.*

Cuſtodi me quæſo, Pater cœleſtis nunc & ſemper, ne in eam

peccandi consuetudinem incidam, ut necesse sit in senectute juventutis meæ crimina deflere; sed potius quotidie in virtutibus magìs, magísque proficiam, tranquilla, & pura conscientia tibi deserviens. Defende me ab omnibus inimicis meis, qui mihi multa machinantur in his, quæ ad animam, vel corpus meum pertinent, quíque me seducere, & quæ impia sunt, student docere. Ante omnia commendo tibi castitatem corporis mei, ut ea non tantùm immunis sit ab omni violentia, vel illicito consensu; sed ut ego eam nec per impuram cogitationẽ, nec per obscœnam locutionem polluam. Fac, ut parentibus, & iis, quorum tutelæ traditus sum, in omni obedientia, & humilitate serviam, & da mihi gratiam, ut in omnibus tuam sanctam voluntatem faciam, & ad quam me vivendi rationem vocaveris, promptus sequar.

*Tempore Tentationis.*

MI Deus, insurrexerunt contra me maligni: tuâ me gratiâ corrobora. Mi Deus, ligato meum consensum, nolo enim libertatem, nisì ad te honorandum, tibíque serviendum. Recedite à me maligni, nolo vos audire. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitates, quoniam exaudiet Dominus vocem fletûs mei. Domine, vim patior, responde pro me.

*In quacunque tribulatione.*

MIserere Domine, miserere mihi miserrimo peccatori, indigna agenti, & digna patienti: si penso malum, quod quotidie feci, non est tantum, quod patior: gravius est, quod commisi; levius est, quod tolero. Tu justus es Domine, & rectum judicium tuum; omnia judicia tua justa sunt, & vera:

vera: juſtus, & rectus es Domine Deus noſter, & non eſt ulla iniquitas in te; non enim injuſtè, neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens, & miſericors Dominus, qui cùm non eſſemus potentes, feciſti nos, & cùm perditi fuiſſemus culpâ noſtrâ, pietate, & bonitate tua mirabiliter reparâſti nos. Scio, & certus ſum, quòd vita noſtra non temerariis motibus agitur, ſed à te, Domino Deo noſtro regitur, & diſponitur, unde tibi cura eſt de omnibus, præcipuè de ſervis tuis, qui totam ſpem ſuam poſuerunt in ſola miſericordia tua. Idcircò obſecro, & ſuppliciter rogo, ut non facias mihi ſecundùm peccata mea, quibus iram tuam merui, ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam, quæ ſuperat etiam peccata totius mundi. Tu Domine, qui exterius flagella irrogas, da ſemper interiùs indeficientem patientiã, ità, ut laus tua non recedat ab ore meo. Miſerere mei, & adjuva me, ſicut tu nôſti, quod mihi eſt neceſſe in corpore, & anima. Scis omnia, potes omnia, qui vivis in ſæcula. Amen.

### *Reſignatio in voluntatem Divinam tempore adverſitatis.*

Dulciſſime Domine Deus meus, memento quæſo, & conſidera me pauperem creaturam tuam, te verò Dominum, & Creatorem meum eſſe. Ecce ego me in æquiſſimum judicium tuum offero, & gratiſſimæ voluntati tuæ integrè me reſigno, paratus hunc, & alium quemvis inimicum, quamdiu ti i placuerit, ſuſtinere: utere de me, ſicut vis in tempore, & æternitate, quidquid tu cœleſtis Pater in me, & de me decreveris, facito: ſic enim in te transfuſus præſtò ſum, ut recipiam è potentiſſima tua manu, quid-

quid sive blandioris, sive malignioris fortunæ mihi obvenire volueris.

Vis vivam? placet vita: si mavis, moriar? mors non displicet, volens etiam obibo: si sanum esse jubes? valeam: si infirmum? mortem jam contempsi, morbos nihil moror: si opes largiris? accipio: repetis? reddo: si honoribus cumulas? manum dantis exosculor: si ignominia afficis? non abhorreo. Solaris mœrentem? ridebo: malorum, & dolorum nubem effundis? non me terrebit iminens tempestas: si homines amant, si odio insectantur? nihil moror: orabo etiam pro inimicis: denique si irruant ferratæ acies? stabo in arena, & laudes tuas accinam. Quare nolo oculos habere, nisì qui te respiciant; nolo aures, nisì quæ tibi auscultent: linguam exspuo, nisì de te loquatur: rumpatur cor, nisì te amet: excidat memoria, nisì te recolat: pereat mens, nisì de te cogitet: nolo manus, nisì quæ tibi famulentur: nolo pedes, nisì qui te quærant: denique corpus nolo nisì ut tibi victima cadat; imò ne vitam quidem, nisì quam tibi immolem. In summa, ità tuus esse volo, ut me ipso spoliatus, quidquid sum, aut possum, tibi uni rursus transcribam. Ad hæc velle nolo, & nolo nolle, nisì quomodo, quando, & quantum ipse velis: aut nolis: sic nimirum, ut semper, & ubique id unicè arrideat, quod tibi magìs cognovero placere.

Vicissim à te peto hoc unum: custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum: dummodo in æternum me non projicias, nec deleas me de libro vitæ: non mihi nocebit, quidquid venerit tribulationis super me. Ex quo

quo ſit nomen Sanctum tuum nunc, & in æternum ſuper omnia benedictum. Amen.

*Ante Studia, Spiritûs Sancti invocatio.*

VEni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregâſti.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum, &c.

*Ante eadem, Sancti Thomæ Oratio.*

CReator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias annotâſti, & eas ſuper cœlum empyreum miro ordine collocâſti, atque elegantiſſimè partes univerſi diſtribuiſti: Tu, inquam, qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, atque ſupereminens principium, infundere digneris ſuper intellectûs mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus ſum, à me removens tenebras, peccatum ſcilicet, & ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis eſſe diſertas, linguam meam erudias, atque in labiis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, addiſcendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam: ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Per Chriſtum, &c.

*Aſpirationes inter ſtudendum.*

DA mihi, Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit, &

mecum laboret; Ut sciam, quid acceptũ sit apud te omni tempore,

Da, Domine, servo tuo cor docile, & in disciplinis tuis instrue me, ut custodiam judicia justitiæ tuæ.

Ad te Domine, inclino animam meam: tu ignorantias meas illumina, & absondita tenebrarum detege.

Deus meus, illumina tenebras meas, & caliginem oculorum meorum luce tuæ claritatis illustra.

Sint, ô Domine! omnes literarum apices, mei in Te amoris syngraphæ: his adde manum tuam, & subscribe, ut ego totus tuus sim, & tu totus meus.

# BENEDICTIO MENSÆ.

*Ante Prandium.*

℣. Benedicite.
℟. Benedicite.
℣. Oculi omnium.
℟. In te sperant, Domine! & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat, &c.
℣. Kyrie eleison.
℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison.
℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison.
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

Oremus.

BEne c, Domine nos, hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
℣. Jube Domne benedicere.
℟. Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amẽ.

Gra-

## *Gratiarum actio post Prandium.*

℣. Confiteantur tibi Domine, omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Gloria Patri, &c.

℣. Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

℟. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

℟. Sicut erat, &c.

℣. Kyrie eleison.

℟. Christe eleison.

℣. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea.

℟. Audiant mansueti, & lætentur.

℣. Magnificate Dominum mecum.

℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

℣. Retribuere dignare, Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.

℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Et Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Pater noster. *secretò.*

℣. Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

## *Ante Cœnam.*

℣. Benedicite.

℟. Benedicite.

℣. Edent pauperes.

℟. Et saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

℣. Gloria Patri, &c.

℟. Sicut erat, &c. *Reliqua ùt suprà in prandio, inclusivè usque ad* Jube Domne benedicere.

℣. Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ.

℟. Amen.

*Post Cœnam.*

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus se.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c.

℟. Sicut erat in principio, &c.

BEnedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis: qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Psal.* Laudate Dominum, &c. *Reliqua ùt suprà in gratiarum actione post prandium.*

*In Nativitate Domini, & per Octavam.*

*Ante Mensam.*

℣. Verbum caro factum est. Alleluja.

℟. Et habitavit in nobis Alleluja.

*Post Mensam.*

℣. Notum fecit Dominus. Alleluja.

℟. Salutare suum. Alleluja.

*In Epiphania Domini, & per Octavam.*

*Ante Mensam.*

℣. Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent. Alleluja.

℟. Reges Arabum; & Saba dona adducent. Alleluja.

*Post Mensam.*

℣. Omnes de Saba venient. Alleluja.

℟. Aurum, & thus offerentes. Alleluja.

*In Cœna Domini, & Parasceve.*

*Ante Mensam.*

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

*In Parasceve additur:*

℟. Mortem autem Crucis. Pater noster. *Secr.*

*Post Mensam.*

℣. Christus factus est pro

pro nobis obediens usque ad mortem.

*In Parasceve additur:*

℟. Mortem autē Crucis.

*Psalm.* 50 Miserere mei Deus, *alternatim totus recitatur.* p. 402.

REspIce, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster, Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum.

Pater noster. *Secretò.*

*Sabbato Sancto ante, & post Mensam.*

℣. Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati. Allel.

℟. Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Alleluja.

*In die Paschæ, & per Octavam.*

*Ante, & post Mensam.*

℣. Hæc dies, quam fecit Dominus. Allel.

℟. Exultemus, & lætemur in ea. Alleluja.

*In Ascensione Domini, & per Octavam.*

*Ante Mensam.*

℣. Ascendit Deus in jubilatione. Alleluja.

℣. Et Dominus in voce tubæ. Alleluja.

*Post Mensam.*

℣. Ascendit Christus in altum. Alleluja.

℟. Captivam duxit captivitatem. Alleluja.

*In Pentecoste, & per Octavam.*

*Ante Mensam.*

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Alleluja.

℟. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Alleluja.

*Post Mensam.*

℣. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Alleluja.

℟. Et cœperunt loqui. Alleluja.

*In Mensa ante refectionem.*

AUxiliare mihi, Domine, ut corpus meum reficiam ad tui nominis gloriam, in amoris illius unione, qui factus homo, ad laudem Patris sui cœlestis, simili usus est sustentatione, corporisque solatio.

*Cibum sumpturus.*

Deus, qui pascis me

à juventute mea usque in senectam & senium, ne derelinquas me.

*Bibiturus.*

Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum.

*Colloquium, seu Recreatio post Mensam.*

Pone, Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis; non declinet cor meum in verba malitiæ.

Adsis mihi Domine Deus meus: qui dixisti; Ubi sunt duo, vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

*CONGREGATIONIS Principium.*

Veni Sancte Spiritus, &c. *pag.* 437. *Vel sequens Hymnus.*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple supernâ gratiâ;
Quæ tu creâsti, pectora.
Qui diceris Paraclytus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ.
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacémque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Téque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,

Et

Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclyto,
In sæculorum sæcula. Amen.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos, &c.
℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Memento Congregationis tuæ.
℟. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra, ut providere poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt: agere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Finis Congregationis.*

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

PRæſta nobis quæſumus Domine, auxilium gratiæ tuæ; ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.
℟. Retribuere dignare Domine, Benefactoribus noſtris, vivis, atque defunctis vitam æternam.
℟. Amen.

*Ante Lectionem ſpiritualem.*

LOquere Domine, quia audit ſervus tuus. Eloquia tua,

eloquia casta, argentum igne examinatum.

*In ipsa Lectione.*

Da, quod jubes; & jube, quod vis.

*Post Lectionem.*

BEnedictus es Domine, Deus meus, qui illuminâsti tenebras meas, & docuisti me facere voluntatem tuam. Confirma hoc, quod inspirare, & operari in me dignatus es Deus cordis mei, & pars mea in æternum.

*Ad ingressum Templi.*

Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam; adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

*In Aspersione aquæ benedictæ.*

Asperges me Domine hyssopô, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.

*Vel:* Hâc, Domine, aquâ benedictâ emunda vitæ meæ delicta, quæ summo cum dolore detestor ex tui amore.

*Vel:* Hujus aquæ tactus propulset Dæmonis actus.

*Vel fac spiritualem Extremam Unctionem; ungendo aquâ benedictâ, factâ cruce, singulos sensus, & dicendo ad imitationem Venerab. P. Drusbiczki.* Per hanc sacram Crucem † & piissimam misericordiam suam, & per intercessionem suæ BB. Matris, indulgeat mihi Deus, quidquid deliqui per meos sensus, per † visum, † auditum, † odoratum, † gustum, & loquelam, † ac tactum. Amen.

*Oratio ante recitationem Officii.*

ACtiones nostras quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum, &c.

*Post Officium.*

SUscipe clementissime Deus precibus, & meritis B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, officium servitutis nostræ, & si quid dignum laude egimus, propitius respice, & quod negligenter actum est, clementer ignosce; Qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Domo egressurus.*

VIas tuas Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me; perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

*Inter ambulandum.*

SI ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.

*Ingressurus domum alienam.*

VIsita quæsumus Domine, habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle, ut Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: & benedictio tua sit super nos semper. Per Christum, &c.

*Conversaturus cum proximo.*

NEmo potest venire ad te, nisì tu traxeris eum. Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

*Dum ludis.*

ADhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui Deus, in principio lætitiæ meæ.

*Si pulchra vides.*

ECce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Ex te, per te, & in te sunt omnia, Deus meus, & omnia.

*Cùm mala percipis.*

NOn est malum in civitate, quod non fecit Dominus.

Hæc est voluntas Dei Sanctificatio nostra. Si bona de manu Dei accepimus, mala quare non accipimus?

Ex te, per te, &c.

*Rediturus, ad ingressum domûs.*

BEati, qui habitant in domo tua, Domine! in sæcula sæculorum laudabunt te.

*Dum pulsatur ad Ostium.*

INtra Domine in animam servi tui.

Ex te, per te, &c.

*Eleemosynam facturus.*

QUod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.

Ex te, per te, &c.

*Contra desiderium placendi hominibus.*

SI hominibus placerem, Christi servus non essem.

Amicitia hujus mundi inimica est Deo. *Jac.* 1.

Credo tibi, Domine mi, & in te spero, ac toto corde te diligo.

*Contra Avaritiam.*

BEatius est dare, quàm accipere.

Credo tibi, &c.

*Contra Luxuriam.*

MOmentaneū, quod delectat: æternum quod cruciat.

Credo tibi, &c.

*Contra Superbiam.*

NOn veniat mihi Domine, pes superbiæ: ibi enim ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.

Credo tibi, &c.

*Contra Invidiam.*

QUi non diligit proximum, manet in morte. *Joan.* 3.

Credo tibi, &c. Ex te, per te, &c.

*Contra Gulam.*

REgnum Dei non est esca, nec potus. *Rom.* 14. *v.* 17.

*Contra Iram.*

DIscite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Matt.* 11.

Credo tibi, &c. Ex te, per te, &c.

*Contra vanam gloriam.*

NOn nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam.

*Contra amorem proprium.*

DOminus cordis mei, & pars mea in æternum.

Ex te, per te, &c.

*Con-*

*Contra Ariditatem.*

VIde humilitatem meam, & laborem meum.

Et dimitte universa delicta mea.

Ne avertas faciem tuam à me; ne declines in ira à servo tuo.

Domine ante te omne desiderium meum.

*Contra distractiones in Oratione.*

DIrigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Aperi Domine os meum, ad benedicendum nomen tuum.

*Contra Curiositatem.*

AVerte oculos meos, ne videant vanitatem.

Sonet vox tua in auribus meis.

Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

*Contra Familiaritatem noxiam.*

MIhi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.

Eripe me ab homine malo.

*Contra Judicium temerarium.*

NOn intres in judicium cum servo tuo Domine.

Quis ego sum Domine, ut judicem servum tuum?

*Contra Murmurationes.*

DA, ut custodiam vias tuas, ut non delinquam in lingua mea.

*Contra Mendacium.*

PErdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.

*Contra Immodestiam.*

FAc Domine, ut meâ modestiâ glorificeris in æternum.

*Contra Otium.*

DA mihi Domine, ut quodcunque manus mea possit, instanter operetur.

*Contra Pusillanimitatem.*

IN te Domine speravi, non confundar in æternum.

Si ambulavero in me-

medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

*Contra teporem spiritualem.*

DOmine cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Utinam cor meum, & caro mea exultet in Deum vivum.

*Contra tristitiam.*

QUare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

*Contra Somnolentiam.*

BEnedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

*Ad cujuscunque operis finem.*

*Psalmus* 116.

LAudate Dominum omnes gentes, &c.

*Aspiratio pro quovis tempore.*

DA ô JESU, da cor, quod te cogitet; voluntatem, quæ te diligat; memoriam, quæ te recolat; intellectum, qui te intelligat; ut te super omnia diligam, & in omnibus tuam sanctissimam voluntatem adimpleā.

*Oratio ad Jesum pro servanda castimonia.*

O Seminator casti consilii, castarum animarum sponse, amabilissime Jesu! obsecro te per excessivum illum tuum amorem, quo te totum nobis dedisti, & donâsti, seminis tui castissimi partem etiam in pectora nostra jace: ut pretiosissimi Sanguinis tui imbre, quotidie irrigata, grata tibi in nobis semper virtutis hujus succrescant aromata.

*Ad B. Virginem.*

O Maria Virgo, & Mater admirabilis, castarum mentium custos, & nutrix fidelissima! obsecro te per gratiam, quam genuisti; lumbos nostrós baltheo castitatis præcinge: ut in numerum pugilum tuorum recepti, tuóque

que sub Virgineo labaro adversùs mundum, dæmonem, & carnem strenuè certantes in terris, Sponsum tuum Cœlestem, Agnum Immaculatum, Christum Jesum sequi ubique mereamur in Cœlis. Amen.

*Alia pro cordis puritate.*

PEr sanctam Virginitatem, & immaculatam Conceptionem tuam, purissima Virgo, emunda cor, & carnem meam. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

VOTUM
*Pro tuenda Immaculata Conceptione Beatæ Virginis.*

EGo N. N. spondeo, voveo, ac juro, me juxta Summorum Pontificum Pauli V. & Gregorii XV. Constitutiones, publicè, ac privatim velle piè tenere, & asserere, Beatissimam Virginem Mariam Dei Genitricem, absque originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter à Sede Apostolica definitum fuerit. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

# EXERCITIUM
## VIRTUTUM THEOLOGICARUM.

*Quas, dum sanus es, frequentiùs elicere conaberis; ut, cùm tibi ægrotanti, vel agonizanti eas quispiam prœoraverit, facilè, vel unô verbô repetitô, elicere possis.*

CRedo in DEUM, unum in essentia, & trinum in personis, & omnia, quæ per Ecclesiam Catholicam credenda proposuit: quia ipse revelavit, qui est infinita Sapientia, & Veritas. *Credo.* Spero in DEUM meum; quia gratiam in hac vita, & glo-

gloriam in altera promisit ipse, qui in promissis servandis fidelissimus est, & potentissimus servare. *Spero.* Amo te Deus meus, & omnia, qnia infinitè perfectus es, & amabilis. *Amo.* Amo etiam proximos meos, imò & inimicos meos; quia tu, mi Deus, vis, & præcipis, hos à me amari. *Amo.* Ignosco ex amore tui omnibus, qui me unquam offenderunt. *Ignosco.* Doleo ex toto corde; quia infinitam bonitatem tuam offendi. *Doleo.* Utinam possem omnia mea delicta infecta reddere, ne videlicet te offendissem charissimum Deum meum! *Utinam.* Veneror Sanctissima Nomina JESU, MARIÆ, JOSEPH, ut sint mihi ultima tesseræ salutis. *Veneror.* Exosculor sacratissima JESU pro me crucifixi Vulnera. *Exosculor.* Colo omni submissione possibili Venerabile Sacramentum. *Colo.* Gratias tibi ago amantissime JESU, pro Sacratissima Incarnatione, Passione, ac morte tua, quâ me capacem æternæ beatitudinis effecisti. *Gratias ago.* Ah! utinam, ô amantissime DEUS, nunquam te offendissem; quia tu es propter te dignissimus non offendi! *Utinam.* Utinam omnes homines te cognoscant, sicuti es optimus; glorificent, sicuti es præcellentissimus! *Utinam.* Utinam tanto honore, & amore te prosequi possem, quanto te BB. V. Angeli, & SS. Omnes prosequuntur! *Utinam.* Propono, amantissime Deus, potiùs mori millies, quàm te unquam ampliùs offendere. *Propono.* Peto, ô Bonitas infinita! ut potius me mori sinas, quàm te offendere. *Peto.* Resigno, piissime Deus, vitam, & voluntatem meam, sanctissimæ voluntati tuæ, ut agas de me, per me, & circa me quidquid tibi placuerit. Re-

*Resigno.* Offero tibi, ô clementissime Pater! corpus, & animam cum omnibus viribus, & potentiis meis. *Offero.* Offero tibi, ô Pater cœlestis! dilectissimum Filium tuum, Dominum meum Jesum Christum, in unione illius amoris, quo illum in hunc mundum misisti. *Offero.* Offero tibi illius angustias, sanguineum sudorem, passionem, & mortem ad felicem mihi mortem impetrandam. *Offero.* Dirigo, ô summe Deus! omnes cogitationes, verba, & opera mea ad majorem gloriam tuam, ut sim totus tuus, & tu totus meus. *Dirigo.* Denique hæc tria rogo te Deum meum, per Christi merita, ut non decedam ex hoc mundo, nisì ritè susceptis morientium Sacramentis; ut ultima cogitatio mea sit de passione, & morte Christi: ut ultima verba sint, quæ saltèm corde exprimam: ô JESU, MARIA, JOSEPH! adeste mihi in hoc extremo articulo, ne peream in tremendo judicio! *Rogo, Amen.*

---

# TESTAMENTUM
## HOMINIS CHRISTIANI
### Ante somnum quotidie faciendum.

*In Nomine Domini, Amen.*

EGo N. N. Deo dono animam meam, corpus terræ, putredini, & vermibus. Lubentissimô animô exuo me omnibus temporalibus, quæ *vanitas* sunt *vanitatum.* Doleo ex toto corde, & detestor peccata, ob purum, & sincerum Dei amorem. Condono inimicis omnibus ex corde, & ex animo. Credo in Deum, unum in essen-

tia, & trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Creatorem, Redemptorem, & Remuneratorem, in potentia, bonitate, & sapientia infinitum. Adhæreo denique firmissimè omnibus, quæ Ecclesia credenda proponit. Spero de Dei bonitate peccatorum meorum remissionem, & vitam æternam. Amo Deum ex toto corde meo, & tota anima, & ex omnibus visceribus. Comitto me sincerè, omnimodè, & absolutè beneplacito Sanctissimæ, & semper adorandæ Dei voluntatis: paratus ad agendum, & patiendum, ad bonam, & afflictam valetudinem, ad vitam, & mortem, prout voluerit. Fiat sanctissima ejus voluntas. Amen, Amen.

Commendo animam meam, & totum me patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ Matris meæ optimæ: & Advocatæ; S. Josepho, Angelo Tutelari, & omnibus Sanctis: quos oro suppliciter, ut me juvent in hora mortis. Opto, illa ultima mea sint verba, quæ pronunciata volo humillimo cordis affectu, JESUS, MARIA, JOSEPH: unicè desiderans in ejus ulnis emittere spiritum. Quòd si lingua hæc sancta nomina pronunciare nequeat, corde facio; ex animo, ex animo, ex animo. Si animus non possit, præpedito rationis usu, dico nunc pro tunc, omni affectu, humilitate possibili. JESU, MARIA, JOSEPH. Amen.

*In manus tuas Domine commendo spiritum meum.*

*Morieris tu, & non vives.*

*Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te: & quæ parasti, cujus erunt?*

*Aspirationes pro felici morte.*

NOn intres in judicium cum servo tuo Domine Jesu; quia non justificabitur in con spectu tuo omnis vivens.

Ne memineris, bone Jesu, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Ne tradas, Domine Jesu, bestiis animam confitentem tibi, & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

Illumina, mansuetissime Jesu, oculos meos, ne unquam ob dormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui ad versùs eum.

Tuus sum ego, salvum me fac Domine, & ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

Salvum fac servum tuum, Domine Deus, sperantem in te.

O Jesu! esto mihi Jesus, & salva me. Jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te, & in æternum fruar te.

O mi dulcis Jesu! quando corpus meum morietur, fac ut animæ donetur paradisi gloria.

In te, Domine Jesu, speravi, non confundar in æternum.

*Affectus ad JESUM agonizantem.*

JESU agonizans, & moriens in cruce pro me, immitte, quæso, spiritum tuum in cor meum, illóque animam meam vivifica; quoniam tuo solo spiritu vivere volo tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quàm in mortis meæ articulo.

Jesu agonizans, & moriens in cruce pro me; per hunc agonem tuum, & per spiritum, quem in manus Patris æterni commendâsti, obtestor te, ut instans mortis tuæ influat in mortis meæ instans, illúdque in conspectu SS. Trinitatis gratum atque pretiosum reddat.

JE-

JEſu agonizans, & moriens in cruce pro me, ibidémque orans pro crucifixoribus tuis Patrem; obſecro, ut ores quoque eundem pro me crucifixore tuo, impetrésque mihi mortem ſanctam, & charitate perfecta conſummatam.

JEſu agonizans, & moriens in cruce pro me: ſtillantem amore mei ſanguinem tuum colligo, & lambo devotus; optans ſimul ac petens à te, ut in hora mortis meæ adeſſe mihi præſens cum glorioſa Matre tua, Sanctísque tuis digneris, adnumerésque me electis tuis, & in agonis meæ momento ſecundùm magnam miſericordiam, copiosámque redemptionem tuam miſerearis mei.

DOmine Jeſu Chriſte, propter amaritudinem mortis, quam pro me miſerrimo peccatore ſuſtinuiſti in crue, maximè in illa hora, quandó nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo ſanctiſſimo; deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu, ſuo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

*Indulgentia* 100 *annorum conceſſa à Gregorio XV. Annô* 1621. *quotiescunque a iquis recitaverit ſubſequentem orationem:*

BEnedicta ſit Sancta, & Immaculata Conceptio Beatæ Virginis MARIÆ. *P. Viva de Indulgent.*

*Antiph.* In viam pacis.

*Canticum Zachariæ Lucæ* 1.

BEnedictus Dominus Deus Israël: quia visitavit, &c. *fol.* 105.

*Antiph.* In viam pacis, & prosperitatis dirigat nos omnipotens, & misericors Dominus, & Angelus Raphaël comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, & gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos, &c.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus hodie, & quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.
℟. Ad custodiendas justificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te,
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israël per maris medium siccô vestigiô ire fecisti; quíque tribus Magis iter ad te

te ſtella duce pandiſti: tribue nobis quæſumus iter proſperum, tempúſque tranquillum; ut Angelo tuo ſancto comite, ad eum, quò pergimus, locum, & demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum, de Ur Chaldæorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodîſti: quæſumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris: eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quò tendimus, proſperè perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

ADeſto quæſumus, Domine, ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates tuô ſemper protegamur auxiliô.

PRæſta quæſumus, omnipotens Deus: ut familia tua per viam ſalutis incedat, & Beati Joannis Præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, &c.

℣. Procedamus in pace.

℟. In Nomine Domini. Amen.

# LEGES SODALITATIS.

I. Finis hujus Congregationis est virtus, pietásque Christiana, & in literis progressio. Ad quem consequendum, juvabit B. Virginis patrocinium, Sacramentorum frequentia, certæ, constantésque pietatis, & literarum exercitationes. Quocirca Sodales, Dei, & Misericordiæ Matrem, præcipuam Sodalitatis Patronam, magnâ semper veneratione prosequẽtur; imitando exempla illius virtutum, séque mutuò ad ejus amorem, & cultum impellendo.

II. Quivis, antequam in Sodalitatem admittatur, pro vitæ purioris fundamento, generalem, vel de tota vita vel ab ultima generali, confessionem ordinario Sodalitatis Confessario faciet, (nisi fortè Confessarius eam differendam, omittendámque judicaret) quã Confessionem singulis annis circa festum Visitationis, vel Nativitatis omnes repetent: particulariter verò octavo, vel ùt minimùm, decimo quarto quoque die, Confessario ordinario, neque alteri confitebuntur, & SS. Eucharistiam sument decimo quarto quoque die; & prætereа Nativitatis, Circumcisionis, Resurrectionis, Corporis Christi, Pentecostes, Conceptionis, Assumptionis, Purificationis Beatæ Mariæ, Natali S. Joannis Baptistæ, vel SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Michaëlis Archangeli, denique in Sanctorum omnium, & Regni Patronorum solemni festo. Officiales tamen præcipui, si illorum Patri Spirituali videbitur, aliquantò frequentiùs communicabunt.

III. Patri, qui Sodalitatem administrat, Præfectóque, sive Rectori Congregationis,

cæterísque subordinatis Officialibus (ùt sunt Assistentes duo, Secretarius, & 12. Consultores) debitum omnes honorem deferent pro cujusque gradu, atque in rebus omnibus, ad Sodalitatem pertinentibus, magnâ animi promptitudine obtemperabunt.

IV. Quotidie MissæSacrificio intererunt, & occasionem eidem serviendi arripient. Dominicis autem, festísque constitutis Eucharistiam simul accipiant; quâ sumptâ, quartam horæ partem in precatione mentali, seu vocali, pro sua quisque pietate, ac devotione collocabit. Horâ deinde, & locô omnes convenient, quibus Patri Sodalitatis, & Præfecto videbitur commodiùs fieri posse, cum approbatione R. P. Rectoris, ibidem aut oraturi, aut pium quidpiam audituri, vel relaturi, pro Patris, aut Præfecti arbitrio. Ad quas exercitationes, nemo sinè Patris, aut Præfecti veniâ quemquam admittet, qui non sit in hanc Sodalitatem receptus.

V. Manè post invocationem Dei, & Mariæ, Angeli Custodis, SS. Patronorum, ter in honorem SS. TRINITATIS Pater, & Ave; semel Credo, & Salve Regina, pro Ecclesia, Principum Christianorum pace, & Sodalitate: Vesperi post Examen conscientiæ pro iisdem 1. Pater, & Ave; pro Sodalibus autem defunctis Psalm. De profundis, semel recitabunt.

VI. Peccata, & quaslibet peccatorum occasiones, atque pericula, ùt sunt ludi, juramenta, rixæ, murmurationes, improborum consuetudines studiosè vitabunt: è diverso in omni virtutum solidarum genere frequenter se exercebunt, & potissimùm in officiis charitatis: erga Deum; divina meditando, orando

do Litanias Lauretanas, &c, quotidie: erga se invicem; sincero se affectu complectendo, pacem, fraternámque concordiam, & unionem solicitè fovendo: erga proximum; ægros in hospitalibus. & incarceratos invisendo, stipe (si facultas suppetit,) sublevando, instituendo rudes in fidei Christianæ capitibus, modo confitendi, orandi, Missam audiendi, &c.

VII. Cùm Sodalium quispiam ægrotârit, eum Præfectus invisendum, & Sacramentis muniendum curabit, Sodaliúmque precibus commendabit. Si è vita discesserit; Sodales designati funus gestabunt; alii religiosè prosequentur: pro ejus autem anima omnes simul Officium Defunctorum orabunt, & primâ occasione Sacrum audient, & singuli Coronam unam semel, octies Psalmum De profundis cum collecta recitabunt: & universè pro defunctis Sodalibus, & Benefactoribus initio cujuscunque mensis orabunt Officium Defunctorum, & Sacrum fieri curabunt pro iisdem unum; alterum Beatæ Virginis, pro bono Sodalitatis, Sodaliúmque absentium, & benefactorum ejusdem Sodalitii: quibus intentionibus sua quique Rosaria applicabunt.

VIII. Receptas Sodalitatis consuetudines (cujusmodi sunt, Sanctum ex Menstrua electione colere, lustralem aquam domi habere, in transitu per cæmeterium defunctis bene precari, sacras imagines aperto capite venerari, si cui impedimentum intervenit, quô minùs potuerit proximo Conventui interesse, causas Patri, & Præfecto exponere, injunctam pœnam subire, publicè etiam pœnitentias ex humilitate petere, Die Parasceves, vel aliàs Processioni disci-

plinantium interesse, Sabbathô Sanctô simul sepulchra Salvatoris nostri piè, & modestè invisere, bona opera statutis temporibus Præsidi Congregationis præsentare, &c.) diligentissimè observabunt.

IX. Redituri in Patriam, vel aliò migraturi, Patrem, Præfectúmque admonebunt, & ab iis facultatem, & patentes literas poscent: &, quia etiam absentes meritorum, & gratiarum Sodalitatis sunt participes, æquum est, ut interdum Sodalitatem per literas faciant certiorem de suo statu, ac se se Sodalium precibus commendent.

X. Denique, ubicunque locorum fuerint, eâ sint vitâ, moribus, actionúmque honestate, ut legitimi tantæ Matris filii ab omnibus meritò judicentur, eósque in B. MARIÆ Virginis tutela esse, credi, ac dici jure possit.

Reliquæ, quoties Præfectus novus, ac reliqui Officiales eligentur, vel etiam sæpiùs, ex Consilio Patris, & Præfecti, publicè recitabunt.

## BREVE COMPENDIUM

Indulgentiarum Congregationis B. Virginis ex Bulla ejus erectionis excerptum.

*Indulgentiæ Plenariæ.*

1. QUo die in Sodalitatem quispiam recipitur, si verè Pœnitens confessus fuerit, eodémque die Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit in Ecclesia, ubi prædicta Sodalitas fuerit, vel ubi potuerit, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequitur.

2 Item in articulo mortis.

3. Item Sodales confitentes, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumentes

his

his anni festis: Nativitatis, & Ascensionis Domni nostri JESU Christi, Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Assumptionis B Virginis.

4. Quicunqae Christi fideles, utriusque sexûs, etiam non Sodales, verè pœnitentes, & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, in festo Titulari Congregationis Ecclesiam Societatis JESU, in qua summum, & solenne officium ea celebrat, à primis ejusdem diei Vesperis usque ad Solis Occasum ejusdem festivitatis piè visitaverint, & ibidem pro Reipublicæ Christianæ conservatione, & augmento, pro hæresum extirpatione, Principum Christianorum mutua, & universali pace, ac Romani Pontificis prosperitate, oraverint, vel alias preces pro sua quisque devotione ad DEUM effuderint, Indulgentiam plenariam consequentur.

*Indulgentiam unius anni consequuntur Sodales, toties quoties.*

Corpus Sodalium, vel aliorum Christi fidelium ad Ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint.

2. Item infirmi, vel impediti, qui, auditô signô campanæ, genu flexo, si per infirmitatem licebit, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro salute animæ defuncti, vel corporis infirmi recitaverint.

3. Qui cœtibus, cùm publicis, tum privatis interfuerint.

4. Qui Divinis officiis interfuerint.

5. Qui spiritualibus colloquiis, & exhortationibus interfuerint.

6. Qui piis officiis in Suffragium Sodalium, vel aliorum Christi fidelium defunctorum per ipsam Congregationem ordinandis, & ab Admodum R.P. Generali Soc. JESU, vel ejus Vicario probandis interfuerint.

7. Qui Missæ Sacrificio diebus feriatis interfuerint.

8. Qui Conscientiam suam diligenter examinaverint vesperi, antequam cubitum eant.

9. Qui pauperes infirmos tam Sodales, quàm alios in hospitalibus, vel privatis domibus visitaverint.

10. Qui carcere detentos visitaverint.

11. Qui pacem inter inimicos conciliaverint.

Has omnes etiam Indulgentias consequi poterunt Sodales, ubivis locorum commorantes, si apud Ecclesiam eorundem locorum, aut alibi, ùt poterunt, opera præstabunt, quæ sunt servanda ad hujusmodi Indulgentias consequendas.

Omnes Indulgentias consequentur Sodales Stationum Ecclesiarum Urbis sive intra, sive extra muros illius, si diebus quadragesimæ, & aliis anni temporibus, ac diebus Stationum hujusmodi, Ecclesiam Societatis Jesu, si ibi fuerit, alioquin aliam Ecclesiam, seu Capellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devotè visitaverint, & ibi septies Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem recitaverint.

FINIS.

# INDEX.

Pro

O. A. M. D. G. B. M. V.
& OO. SS. H.

ad memoriam.

Pater mortuus die 3 9bris 1839

Mater - - - die 26. Januar. 1843

Mathylda. - - - die 28 8bris 1843.

Magdalena nata e die 23 Julii 1829.

Theodozya nata e 25 Mai 1834.

Adalbertus natus e 24 Aprilis 1824.

---

Aplicationem incepi die 28. 7bris, Nominationem vero recepi die 6 Februarii 1845. Anno.

---

Juliam prima vice die 8 Octobris 1844 Anno.

Apud Dnum Bethier habito die 20. Octobris 1844 anno.

die 9 Januarii 45 2da vice scripsi pro nominatione

---

Felicia nata d. 11. Februarii 1819. 6 18. 1/2

Josepha nata d. 24. Januar: 1824. 6 30.

Bronislava d. 4. 10bris 1833. anno.

X. Stanisław Papczyński Pijar, Fundator Maryanów

## Lekarstwo

Na wyrzuty pod nosem

Maść czerwona Merkurjalna, - i często mydłem z ciepłą wodą przemywać.

Na Artretyzm: Spiritus Mihari, - z dodaniem do tego - Olejku Skalnego, Salamoniaku i Kamfory. Expeller = Plaster Hamburski

Na wyrzuty pod nosem

Rp: Jodoformi gr: X.
Ung. glicerini ℥ij
M. exactissimi

Najlepsze Balsam Jerozolimski. -

Na wolny żołądek

1. Magnezia Sulphurica Depurata, - Uncia 1.
2. Natrum bicarbonicum półtory drachmy. -

Rozpuścić to w pół kwarty wody czystej - cząstkami [illegible] przy [illegible] - i pić na noc.

Pakarowska No 6½

Na rany po Dżgaaniu nóg.

Tanina rozpuszczona w Etherze a kop: 10. — smarować tym piórkiem miejsca gdzie rany.

Balsam Jerozolimski po Rusku — a w Naszych Aptekach „Tinctura Benzoes composita„ — na wszelkie rany i wyrzuty — a kop: 15. — Na Hemoroidy, — używać na Cukrze po 10. kropli dwa razy dziennie, — a także tym wszystko nacierać. —

Brat Stanisław Regulski umarł w Szpitalu Dzieciątka w Warszawie d. 8. Kwietnia 1879. [illegible]

Badziaga / Spongilla :)
rozpuścić owaną wodę i przykładać szmatki — na spędzenie Siniaków i Ranatyzmu. —

Na Oczy. Do tłuszczu z króli-
ka zabitego, który się mieści
nad uszami, dodać trzy ziarnka
kamfory, a gdy się rozpuści
smarować na noc powieki
piórkiem delikatnym.

---

Na Astmę Dra Clerry'o. Używa-
ć proszek przeciw Astmie do wdycha-
nia w siebie dymu. W Apte-
kach i składach Materyałów
Aptecznych.

---

Na wyrzuty pod nosem — Ole-
jek migdałowy z wodą gular-
dową zmieszany — smaro-
wać jak najczęściej. —

---

18 Kwietnia 85 № 14241 Książka
Ziółka z Opersztetera.